UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

# Theologiæ Sacramentalis Scholasticæ Et Moralis Pars ...

Ad Mentem Doctoris Subtilis Ioannis Duns Scoti D. Augustino conformen

In qua tractatur de Virtute ac Sacrameto Pœnitentiæ

**Bosco, Jean a**

**Lovanii, 1670**

Concl. II. Nulla gravitas, multitudo, aut iteratio peccatorum, stabili lege impedix auxilium efficax vetè pœnitenti, minùs sufficiens, quod Deus nulli negat.

urn:nbn:de:hbz:466:1-73393

Visual Library

Quamquam & hic locus intelligi poſſit de Pœnitentia Iſaac, id eſt, revocatione benedictionis datæ Jacobo, quam non potuit impetrare Eſau, tametſi cum lacrymis inquiſiſſet eam; Gen. 27. v. 34. *Auditis Eſau ſermonibus patris, irrugiit clamore magno, & conſternatus ait: Benedic etiam & mihi pater mi.* Et v. 38. *Cùmque eiulatu magno fleret.*

16. Per Pœnitentiam in Script. aliquando intelligitur revocatio alicujus gratiæ jam factæ.

Porrò per Pœnitentiam in Scriptura ſacra; ſubinde intelligi revocationem alicujus gratiæ jam factæ, oſtendo ex Magno Patre & Magiſtro gratiæ D. Auguſtino, qui lib. de Corrept. & grat. c. 9. ſic inquit: *Quicumque in Dei providentiſſima diſpoſitione præſciti, prædeſtinati, vocati, iuſtificati, glorificati ſunt, non dico etiam nondum renati, ſed etiam nondum nati, filii Dei ſunt, & omnino perire non poſſunt*; hoc eſt, non peribunt: *Non*, ut idem S. Doctor ait lib. de Prædeſt. SS. c. 5. *quia credere vel non credere non eſt in arbitrio voluntatis humanæ, ſed in electis præparatur voluntas à Domino.* Præparatur, inquam, *vocatione illa*, ut ait D. Auguſt. lib. de Bono perſev. c. 17. *de qua dictum eſt* Rom. 11. v. 29. *Sine Pœnitentia ſunt dona & vocatio Dei*, id eſt, ſine revocatione.

Concluſio.

Itaque nullum eſt peccatum, quod de facto, id eſt, ſecundùm præſentem Dei ordinationem, per veram Pœnitentiam non poſſit deleri, immo deleatur, ſi vera Pœnitentia ponatur. Sed numquid gravitas, multitudo, vel iteratio peccatorum aliquando impedit peccatorem, ne poſſit ponere veram Pœnitentiam, aut ſaltem ne hìc & nunc eam ponat? Reſpondeo:

## CONCLUSIO II.

Nulla gravitas, multitudo, aut iteratio peccatorum, ſtabili lege impedit auxilium efficax verè pœnitendi, minùs ſufficiens, quod Deus nulli negat.

17. Prima pars Concluſ. probatur primò.

PRima pars Concluſionis eſt extra controverſiam; convincitur quippe ipſâ experientiâ, quæ clamat non ſemel maximos peccatores, ſive ſpectes qualitatem peccati, ſive quantitatem, tandem aliquando divinâ aſpirante gratiâ, perfectè converſos fuiſſe ad Deum. Quæris exempla?

exemplo Mariæ Magdalene, Luc. 7.

Ecce tibi Maria Magdalene, *quæ* teſte Euangeliſtâ Lucâ cap. 7. v. 37. *erat in Civitate peccatrix*; meruit tamen audire à Chriſto: *Remittuntur tibi peccata*, v. 48.

Et ne dixeris, unum tamen habuit peccatum: nam v. 47. de ea ſic dicit æterna Veritas: *Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum.* Et Euang. Lucas c. 8. v. 2. *Maria, quæ vocatur Magdalene, de qua ſeptem dæmonia exierant.* Similiter Marcus c. 16. v. 9. *Surgens autem manè primâ Sabbati, apparuit primò Mariæ Magdalene, de qua eiecerat ſeptem dæmonia*, id eſt, ſecundùm Interpretes Scripturæ univerſitatem peccatorum. *Quid per ſeptem dæmonia*, inquit D. Gregorius hom. 33. in Euang. *niſi univerſa vitia deſignantur?* Et poſt pauca: *Septem ergo dæmonia Maria habuit, quæ univerſis vitiis plena fuit.* Mar. 16. D. Gregor.

18. Item exemplo Petri, Matth. 26.

Petrus nonne in domo Caiphæ negavit Chriſtum dicens? *Quia non novi hominem?* Matth. 26. v. 72. Nonne *cœpit deteſtari & iurare, quia non noviſſet hominem?* Et tamen quis ambigat illum inveniſſe locum Pœnitentiæ? *Converſus Dominus reſpexit Petrum*, Luc. 22. v. 61. *Et egreſſus foràs Petrus flevit amarè*, v. 62. Atque audire meruit à Chriſto Joan. 21 v. 17. *Paſce oves meas.* Luc. 22. Ioan. 21.

& Pauli,

Quid dicam de Paulo? Ipſe de ſe loquatur: *Audiſtis*, inquit, *converſationem meam aliquando in iudaiſmo; quoniam ſuprà modum perſequebar Eccleſiam Dei, & expugnabam illam* Gal. 1. v. 13. Equidem teſtimonium veritatis falli non poteſt: *Vade*, ait Dominus ad Ananiam, Act. 9. v. 15. *quoniam vas electionis eſt mihi iſte, ut portet nomen meum coram Gentibus, & Regibus, & filiis Iſraël.* Gal. 1. Act. 9.

Uti etiam exemplo Davidis,

Tranſeo Davidem; qui poſt commiſſum adulterium, & homicidium, ad unam vocem: *Peccavi Domino*, intellexit ex ore Prophetæ Nathan: *Dominus quoque tranſtulit peccatum tuum*, 2. Reg. 12. v. 13. Non tango Latronem cum Chriſto crucifixum, qui poſtquam dixiſſet ad Jeſum: *Domine memento mei cùm veneris in regnum tuum*, Luc. 23. v. 42. pro reſponſo accepit: *Amen dicò tibi: hodie mecum eris in Paradiſo.*

& Latronis cum Chriſto crucifixi.

19. Probatur 2. quia nullibi reperitur illa ſtabilis lex.

Alia penè innumera exempla adferri poſſent, niſi ſufficeret in hac materia argumentum ab auctoritate negativa, quia lex ſtabilis negandi auxilium efficax propter gravitatem, aut multitudinem peccatorum, nuſpiam invenitur, nuſquam Scriptura ejuſmodi decretum commemorat: ergo ſine fundamento aſſeritur.

Dico, *Lex ſtabilis*; quia non dubium, quin frequenter Deus, tum ob gravitatem peccatorum, tum ob eorum multitudinem, ſubtraxerit, & adhuc ſubtrahat auxilium efficax pœnitendi, ut clariùs patebit ex dicendis pro ſecunda parte Concluſionis, quæ hoc tempore admodum diſputatur.

20. Quòd Deus nulli peccatori neget auxilium ſufficiens, probatur ex Apoſt. 1. Tim. 2.

Et quidem, quòd Deus nulli peccatori neget auxilium ſufficiens ad veram Pœnitentiam, communiter probatur ex Apoſtolo 1. Timoth. 2. ubi ſic incipit dicere: *Obſecro igitur primùm omnium fieri obſecrationes, orationes, poſtulationes, gratiarum actiones pro omnibus hominibus: pro Regibus, & omnibus, qui in ſublimitate ſunt, ut tranquillam & quietam vitam agamus*

Dd 3 *in*

*in omni pietate, & caſtitate. Hoc enim bonum eſt, & acceptum coram Salvatore noſtro Deo, qui omnes homines vult ſalvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire.* Vult, inquam, voluntate antecedente, omnes homines, nemine excepto, ſalvos fieri.

21. juxta interpretationem Scoti,

Ita hunc locum interpretatur Doctor Subtilis 1. diſt. 46. n. 3. ſub hac forma verborum: *Ad primum argumentum dico, quòd licèt illud dictum Apoſtoli* (Deus vult omnes homines ſalvos fieri) *poſſet exponi de diſtributione accommodata pro omnibus, qui ſalvi fient, tamen multò meliùs poſſet exponi de voluntate antecedente ſic, id eſt, vult omnes homines ſalvare, & ſalvos fieri, quantùm ſcilicet eſt ex parte ſui, & voluntate ſua antecedente, pro quanto dedit eis dona naturalia, & leges rectas, & adiutoria communia ſufficientia ad ſalutem.*

quæ probatur à ſimili.

Probat à ſimili: *Sicut*, inquit, *de Rege ſtatuente bonas leges, & præfigente miniſtros iſtarum legum, poſſet dici, quòd vult omnes ſubditos ſuos pacificè vivere & quietè; & tamen ſi videret aliquem tribulari iniuſtè, non ſtatim oporteret, quòd Rex intromitteret ſe ad faciendum illum quietè vivere. Ita dico in propoſito, quòd etſi Deus non habeat voluntatem beneplaciti* (conſequêntem) *ad iſtum ſalvandum, tamen vult iſti illa adiutoria communia antecedentia ad ſalutem omnium, quibus iſte etiam poteſt ſufficienter bene vivere, & ſalvari; propter quæ dici poteſt, quòd quantùm eſt ex parte ſui vult omnes ſalvos fieri.* Hæc ille.

22. Quæ ſit voluntas Dei antecedens, quâ vult omnes homines ſalvos fieri.

Ex quibus feſtinè cognoſcimus, quæ ſit voluntas Dei antecedens, quâ vult ſalvos fieri etiam reprobos ac graviſſimos peccatores, qui abſque Pœnitentia ex hac vita decedunt; nimirum voluntas, quâ Deus inſtituit Sacramentum Pœnitentiæ, & verè pœnitenti promiſit vitam æternam; nec hoc tantùm, quoniam parùm eſt ordinare media ſalutis, ſtatuere bonas leges, ſi impoſſibile ſit eas obſervare; ſed quâ inſuper ſtatuit unicuique dare adjutoria communia ſufficientia ad veram Pœnitentiam eliciendam, aut certè hujuſmodi adjutoria nemini negare, adeoque omnibus dare ſalutem, quantùm eſt ex parte ſua; non quidem abſolutè, ſed conditionatè, ſcilicet ſi neceſſaria media applicentur, ſicuti poſſibile eſt ea applicari; adeò ut voluntas illa Dei non tantùm terminetur ad media ſalutis, ſed etiam ad ipſam ſalutem omnium hominum, non quidem abſolutè, ſic enim omnes homines ſalvi fierent, cujus oppoſitum docet fides Catholica, ſed conditionatè, ſi neceſſaria media applicentur.

Et hinc eſt, quòd quamvis voluntas Dei impleatur ſemper quoad media, quoniam illa abſolutè vult, non tamen ſemper impleatur quoad ipſam ſalutem, quia non ſemper ponitur conditio, ſub qua Deus illam vult.

Adhuc dubitas quæ ſit voluntas Dei con-
23. ſequens? Dic illam eſſe, quâ Deus quidpiam abſolutè vult ſpectatis omnibus ad effectum requiſitis. Stat ergo ſimul Deum voluntate antecedente velle omnes homines ſalvos fieri, & voluntate conſequente velle aliquos perire. Quæ ſit voluntas Dei conſequens.

Deus habuit generalem voluntatem benevolentiæ erga omnes Angelos, et aliquos de facto damnavit.

Nonne Deus habuit generalem voluntatem benevolentiæ erga omnes Angelos, ex qua, quantùm in ſe erat, omnium beatitudinem æternam voluit, omnibusque propterea beatitudinis conſequendæ media ſufficientiſſima largitus eſt? Planè habuit, ut omnes fatentur. Et tamen quis dubitet ſimul habuiſſe voluntatem conſequentem & abſolutam aliquos damnandi? Etenim de facto aliquos damnavit.

Eandem voluntatem potuit habere erga omnes homines,

Ergo ſimiliter fieri potuit, ut Deus haberet generalem voluntatem benevolentiæ erga omnes homines (quamvis aliqui eorum poſitivè forent indigni propter peccatum originale) ex qua, quantùm in ſe eſt, omnium æternam beatitudinem vellet, omnibusque propterea beatitudinis conſequendæ media ſufficientiſſima largiretur; tametſi voluntate conſequente aliquos vellet in æternum damnare.

Porrò talem de facto habuiſſe voluntatem, 24. eamque de facto habuiſſe exiſtimat D. Damaſcenus,
exiſtimat Scotus ſuprà, aliique Scholaſtici Doctores, ſecuti SS. Patres; imprimiſque D. Damaſcenum lib. 2. de Fide ortod. c. 29. ſub finem ubi ſic lego: *Quin illud quoque nos ne fugiat, Deum, ut bonitate præſtantem, primariè quidem omnes homines ſervari ac regni ſui compotes eſſe velle (neque enim ſupplicii aut cruciatûs cauſa, verùm ad hoc, ut bonitatis ipſius participes ſimus, nos effinxit) ut iuſtum autem iis quoque, qui peccant, pœnam inferni nihilominus velle; ac priùs illud antecedens voluntas ſeu beneplacitum dicitur ex ipſo manans, ſecundum autem inſequens voluntas, ac permiſſio à noſtro vitio ortum ducens.*

Quæ verba, quamvis clara, aliquid lucis 27. D. Damaſceni verba magis explicantur ab ejus Interprete.
accipient ex hoc Jac. Billii, Interpretis ejus, Commentario: Diſtinguit Damaſcenus (inquit ille) in Deo duplicem voluntatem, ſcilicet antecedentem, & conſequentem. Voluntas antecedens eſt, quâ Deus ex ſe ipſo quemque hominem ad conſummatam vult pervenire perfectionem, & finem ad quem conditus eſt; & ad illud aſſequendum præſidia naturalia & gratuita ſufficienter cuique ſubminiſtrat: & hâc voluntate præcedente vult omnes homines ſalvos fieri &c. quia ad ſalutem æternam adipiſcendam omnes homines condidit, & congruentia illi fini media præſtitit, ſcilicet naturam rationalem, gratiam quam cuique parato recipere offert, Eccleſiaſtica Sacramenta, & inſpirationem ad bonum. Hæc Billius.

Unde fit, quòd Damaſcenus vocet illam Quare voluntatem antecedentem vocet voluntatem bonitatis.
voluntatem *bonitatis*. Nam ut obſervat in Dial. adverſ. Manich. *Deus omnes bonos creavit Ipſe quippe omnibus, tum ut ſint, tum ut bene ac præclarè ſint, præbet, Solis nimirum inſtar, bonitatis ſuæ radios ad omnia opera ſua diffundens. Atque ut quidem*

nos

*nos ſimus non in nobis ſitum eſt accipere : ut autem beati ſimus in noſtro arbitrio* ( cum gratia Dei ) *conſiſtit. Quocirca ſi velimus ac cupiamus , ipſius bonitatis participes erimus.*

26. Quomodo Alenſis expoſuerit mentem D. Damaſc.

Neque aliter expoſuit mentem D. Damaſceni Alenſis 1. p. q. 36. memb. 2. verſ. *Ad quæſtionem quâ quæritur , utrùm voluntate beneplaciti velit omnes ſalvari.* Ad illam , inquam , quæſtionem reſpondet hic Auctor : *Voluntas beneplaciti poteſt dici reſpectu poſsibilitatis rationalis creaturæ ad ſalutem , quæ quidem poſsibilitas eſt in ipſa à Deo ; & hoc modo voluntate beneplaciti vult omnes homines ſalvos fieri : alio modo voluntas beneplaciti dicitur reſpectu effectûs , qui redditur à Deo rationali creaturæ pro merito , & ſic voluntate beneplaciti non vult omnes homines ſalvos fieri , ſed ſolùm prædeſtinatos.*

*Primo modo dicit Damaſc. voluntatem antecedentem , & hæc eſt ratione bonitatis , quæ eſt in Deo. Secundo modo dicit voluntatem conſequentem ſecundùm rationem iuſtitiæ , quæ reſpicit merita , quæ ſunt in nobis , vel à nobis. Patet igitur quòd ſemper impletur voluntas Dei beneplaciti , ſive dicatur antecedens , ſive conſequens.* Intellige , quoad aliquid , videlicet ſi eſt antecedens , quoad media ſufficientia ; ſi eſt conſequens , etiam quoad ipſam ſalutem.

27. Idem eſt expoſitio Doct. Seraphici.

Eodem modo interpretatur D. Damaſcenum Doctor Seraphicus S. Bonaventura 1. diſt. 46. a. 1. q. 1. ibi : *Prima , ſcilicet antecedens , dicitur à Magiſtris* ( id eſt Doctoribus ſui temporis ) *voluntas conditionalis , ſive voluntas , quâ Deus vult quantùm in ſe eſt : ſecunda autem , ſcilicet conſequens , dicitur abſoluta. Differentia autem inter hanc voluntatem , & illam , non eſt ſecundùm diverſitatem affectionis , ſive modi volendi , qui ſit in Deo , ſed ſecundùm rationem connotandi & intelligendi. Prout enim Deus dicitur velle omnium ſalutem quantùm in ſe eſt , & antecedenter , connotatur in omnibus ordinatio ad ſalutem , tum ex parte naturæ datæ , tum ex parte gratiæ oblatæ. Dedit enim Deus naturam , ſecundùm quam poſſent eum cognoſcere , & cognitum quærere , & quæſitum invenire , & invento inhærere , ac per hoc ſalutem obtinere. Gratiam ſimiliter obtulit , dum Filium miſit & obtulit , cuius pretium omnium ſaluti ſufficit. Leges etiam & mandata tribuit & oſtendit. Ipſe etiam præſto eſt omnibus inquirentibus , & prope eſt omnibus invocantibus eum.*

*Velle ergo hominem antecedenter ſalvare , eſt ordinatum ad ſalutem facere , & volenti pervenire , non deeſſe. Vnde velle antecedenter ſalvare , non connotat ſalutem , ſed ordinabilitatem ad ſalutem. Velle autem conſequenter , ſive abſolutè ſalvare , eſt abſolutè dare ſalutem ei , quem præſcit ad ſalutem perventurum per ſuum auxilium & gratiam , & connotat ſalutis eventum. Et ſic non eſt dicere , quòd Deus velit omnes homines ſalvos fieri.* Hæc ille.

Quamquam ibidem etiam approbet expoſitionem D. Auguſtini , de qua infrà , dicens : *Huic reſponſioni* ( ſcilicet Damaſceni ) *magìs conſonant Magiſtri , quamvis utraque bona ſit.* Quod etiam ſuprà Scotus rectè notavit in his verbis : *Licèt illud dictum Apoſtoli poſſet exponi de diſtributione accommodata pro omnibus , qui ſalvi fient* &c.

Subjungit autem Seraphicus Doctor : *Secundùm hanc ergo* ( expoſitionem Damaſceni ) *reſpondendum : quòd Deus omnes homines vult ſalvos fieri , quantùm in ſe eſt , voluntate antecedente , non autem voluntate abſolutâ ſive conſequente , & quia illa non connotat effectûs eventum , ideo non impeditur in hoc , quod non omnes ſalvantur.* 28.

Tam voluntatem antecedentem quàm conſequentem D. Bona. vocat voluntatem beneplaciti.

Porrò utramque illam voluntatem , appellat ibidem voluntatem beneplaciti , inquiens : *Reſpondeo dicendum , quòd cùm Apoſtolus dicat , quòd Deus hoc vult , ſcilicet , omnes homines ſalvos fieri , neceſſe habemus concedere , quòd Deus velit , & cùm non poſsit exponi de voluntate ſigni , neceſſe habemus exponere de voluntate beneplaciti ; ſed cùm non omnes ſalventur , & voluntas Dei numquam fruſtratur , ideo neceſſe eſt , quòd fiat vis in modo diſtribuendi , vel in modo volendi.* Quid clariùs dici poterat ?

29. Quæ fuerit mens Doct. Angelici de hac duplici voluntate.

Accedat Doctor Angelicus D. Thomas qui 1. diſt. 46. q. 1. a. 1. ſic ait : *Voluntatis antecedentis effectus eſt ordo naturæ in finem ſalutis , & promoventia in finem omnibus communiter propoſita tam naturalia , quàm gratuita.*

Et lib. 3. contra Gentes c. 159. ſcribit in hæc verba : *Cùm ſit in poteſtate liberi arbitrii impedire divinæ gratiæ receptionem , vel non impedire , non immeritò imputatur in culpam ei , qui impedimentum præſtat gratiæ receptioni. Deus enim quantùm in ipſo eſt , paratus eſt omnibus gratiam dare ; vult enim omnes homines ſalvos fieri , & ad agnitionem veritatis venire , ut dicitur ad Timot. 1. 2. ſed illi ſoli gratiâ privantur , qui in ſe ipſis gratiæ impedimentum præſtant : ſicut ſole mundum illuminante , in culpam imputatur ei , qui oculos claudit.*

30. An DD. prællegati locuti fuerint de ſolis hominibus in ſtatu Innocentiæ.

Dicere autem , hos Doctores locutos fuiſſe de hominibus in ſtatu Innocentiæ , & non de hominibus poſt lapſum primorum parentum , quam habet apparentiam veritatis ? Nonne orandum eſt in ſtatu naturæ lapſæ pro omnibus hominibus , quia Deus in ſtatu Innocentiæ volebat omnes homines ſalvos fieri?

Planè , inquit aliquis ; nam illa voluntas adhuc permanet reſpectu aliquorum , ſcilicet prædeſtinatorum , & quia incertum eſt , qui illi ſint , convenit orare pro omnibus , cùm ſine noſtra oratione non voluerit Deus illos ſalvare.

31. Apoſtolus ex morte Chriſti pro omnibus , probat voluntatem omnes ſalvandi ,

Sed contrà : Apoſtolus voluntatem omnes ſalvandi conjungit cum Chriſti morte pro omnibus ; immo ex Chriſti morte probat illam voluntatem dicens 1. Timot. 2. *Qui omnes homines vult ſalvos fieri , & ad agnitionem veritatis venire. Vnus enim Deus , unus & mediator Dei & hominum , homo Chriſtus Ieſus , qui dedit redemptionem ſemetipſum pro omnibus.* Jam autem mortuus eſt pro omnibus in ſtatu naturæ lapſæ : ergo & illos omnes ſalvos facere vult.

Prorſus ,

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK PADERBORN

Prorſus, reponit quiſpiam, pro omnibus hominibus in ſtatu naturæ lapſæ mortuus eſt, & ideo illos omnes ſalvos facere vult, ſed omnes, qui ſalvi fient, quæ eſt expoſitio D. Auguſtini.

Fateor, ſic exponi poſſet iſte locus; ſed Doctores præallegati nequaquam ita expoſuerunt, aut illam expoſitionem ſecuti fuerunt, quando meminerunt voluntatis antecedentis; cùm hæc voluntas, de qua Auguſtinus, ſit omnino conſequens. Illa ergo voluntas antecedens quà talis, neceſſariò afficit, non tantùm homines in ſtatu Innocentiæ, ſed etiam in ſtatu naturæ corruptæ.

32. Quid de hac re ſenſerit S. Proſper. Audiamus S. Proſperum fideliſſimum Dif-
cipulum D. Auguſtini: *Remotâ hâc diſcretione, quam divina ſcientia intrà ſecretum iuſtitiæ ſuæ continet, ſinceriſſimè* (inquit ille Reſp. 2. ad Object. Vincent.) *credendum atque profitendum eſt, Deum velle ut omnes homines ſalvi fiant. Siquidem Apoſtolus, cuius iſta ſententia eſt, ſolicitiſſimè præcipit, quod in omnibus Eccleſiis piiſſimè cuſtoditur, ut Deo pro omnibus hominibus ſupplicetur.* Pro omnibus, inquam, etiam reprobis; nam ſequitur: *Ex quibus quòd multi pereunt pereuntium eſt meritum; quòd multi ſalvantur, ſalvantis eſt donum. Vt reus damnetur, inculpabilis eſt Dei iuſtitia: ut autem reus ſalvetur, ineffabilis Dei gratia eſt.*

Quæris quæ ſit illa diſcretio, quam ibi removet S. Proſper? Reſpondeo, quam deſcri-
Matt. 7. v. 11. bit in eadem reſponſione hiſce verbis: *Cùm veritas dicat:* Si vos cùm ſitis mali, noſtis bona data dare filiis veſtris, quantò magìs Pater ve-
ſter cæleſtis dabit bona petentibus ſe? *quì fieri poteſt, ut Deus, qui etiam illos ſalvat, de quibus dici non poteſt, quòd ſalvari velint, nolit aliquos ſalvare, etiamſi ſalvari velint, niſi aliquæ cauſæ exiſtant; de quibus, quamvis nobis ſint incognoſcibiles, ita tamen bene iudicat, de quo dici non poteſt, aliter eum quidpiam facere debuiſſe, quàm fecerit?* Ubi manifeſtum eſt, ipſum loqui de voluntate conſequente, quâ Deus abſolutè vult aliquos ſalvare, & aliquos damnare. *Remotâ*, inquit, *hâc diſcretione* &c.

33. Præter voluntatem antecedentem circa ſalutem omnium hominum, habet Deus ſpecialem voluntatem conſequentem circa electos. Idem Sanctus ad cap. Gall. Sent. 8. ſic ſcribit: *Qui dicit, quòd non omnes homines velit Deus ſalvos fieri, ſed certum numerum prædeſtinatorum, duriùs loquitur, quàm loquendum eſt de altitudine inſcrutabilis gratiæ Dei; qui & omnes vult ſalvos fieri, atque in agnitionem veritatis venire.* Omnes, inquam, nemine excepto, etiam reprobos; ſiquidem illico attexit: *Et voluntatis ſuæ propoſitum*, quod erat generale ſalvandi omnes, *in eis implet, quos præſcitos prædeſtinavit, prædeſtinatos vocavit, vocatos iuſtificavit, iuſtificatos glorificavit.* Id eſt, præter voluntatem antecedentem circa ſalutem omnium hominum, quam Deus habuit ante lapſum primorum hominum, & poſt lapſum permanet, ſpecialem habet voluntatem, id eſt, voluntatem conſequentem, circa electos, ut claris verbis docet lib. 2. de Vocat Gét. c. 31.

*Elaboratum*, inquit, *eſt, quantùm Dominus adiuvit, ut non ſolùm in noviſſimis diebus, ſed etiam in cunctis retro ſæculis probaretur, gratiam Dei omnibus hominibus adfuiſſe, providentiâ quidem pari & bonitate generali, ſed multi modo opere, diverſaq; menſurâ. Quoniam ſive occultè, ſive manifeſtè, ipſe eſt (ut Apoſtolus ait)* Salvator omnium homi- 1. Timot. 4. v. 10.
num, maximè fidelium. *Quæ ſententia ſubtiliſſimæ brevitatis & validiſſimi roboris, ſi tranquillo conſideretur intuitu, totam hanc, de qua agimus, controverſiam dirimit. Dicendo enim:* Qui eſt Salvator omnium hominum; *confirmavit, bonitatem Dei ſuper univerſos homines eſſe generalem. Adiiciendo autem,* Maximè fidelium, *oſtendit eſſe partem generis humani, quæ merito fidei divinitùs inſpiratæ ad ſummam atque æternam ſalutem ſpecialibus beneficiis provehatur.* Itaque de mente S. Proſperi non eſt relictus dubitandi locus.

Quæris quid ſentiat D. Auguſtinus? Lege 34. Quomodo S. Aug. intellexerit verba Apoſt. Qui vult omnes homines &c.
librum ejus, qui intitulatur *Enchiridion ad Laurentium*, & cap. 103. ſcriptum invenies: *Ac per hoc cùm audimus, & in ſacris Litteris legimus, quòd velit omnes homines ſalvos fieri; quamvis certam ſit nobis, non omnes homines ſalvos fieri, non tamen ideo debemus omnipotentiſſimæ Dei voluntati aliquid derogare, ſed ita intelligere quod ſcriptum eſt:* Qui vult omnes homines ſalvos Prima expoſitio, pro omnibus hominibus, qui ſalvi fiunt.
fieri; *tamquam diceretur, nullum hominem fieri ſalvum, niſi quem ſalvum fieri ipſe voluerit: non quòd nullus ſit hominum, niſi quem ſalvum fieri velit, ſed quòd nullus fiat* (ſalvus) *niſi quem velit, & ideo ſit rogandus ut velit, quia neceſſe eſt fieri ſi voluerit. De orando quippe Deo agebat Apoſtolus ut hoc diceret. Sic enim intelligimus id, quod in Euangelio*
*ſcriptum eſt:* Qui illuminat omnem hominem; Ioan. 1. v. 9.
*non quia nullus eſt hominum, qui non illuminatur, ſed quia niſi ab ipſo nullus illuminatur.* Ecce prima expoſitio.

Sequitur altera: *Aut certè ſic dictum eſt:* Qui 35. Secunda pro generibus ſingulorum.
omnes homines vult ſalvos fieri, *non quòd nullus hominum eſſet, quem ſalvum fieri nollet, qui virtutes miraculorum facere noluit apud eos, quos dicit acturos fuiſſe Pœnitentiam ſi feciſſet: ſed ut omnes homines omne genus humanum intelligamus per quaſcumque differentias diſtributum, Reges, privatos, nobiles, ignobiles, ſublimes, humiles, doctos, indoctos, integri corporis, debiles, ingenioſos, tardicordes, fatuos, divites, pauperes, mediocres, mares, fœminas, infantes, pueros, adoleſcentes, iuvenes, ſeniores, ſenes: in linguis omnibus, in moribus omnibus, in artibus omnibus, in voluntatum & conſcientiarum varietate innumerabili conſtitutos, & ſi quid aliud differentiarum eſt in hominibus.*

Hæc eſt ſecunda expoſitio, quam ibidem 36. quam confirmat ex Script. Luc. 11. v. 42.
confirmat ex Scriptura Luc. 11. *Iſto*, inquit, *locutionis modo & Dominus eſt uſus in Euangelio, ubi ait Phariſæis:* Decimatis mentham & rutam & omne olus. *Neque enim Phariſæi, & quæcumque aliena, & omnium per omnes terras alienigenarum omnia olera decimabant. Sicut ergo hìc omne*

olus,

*olus, omne olerum genus*, *ita & illic omnes homines, omne hominum genus intelligere poſſumus.* Diſtribuendo ſcilicet ly *Omnes* univerſaliter incompletè pro generibus ſingulorum; non autem completè pro ſingulis generum. Sicut dicitur: *Omne animal fuit in arca* Noë; quia ex omnibus ſpeciebus animalium, aliquod animal fuit in arca Noë.

S. Aug. Hujus expoſitionis rurſus meminit S. Doctor lib. de Corrept. & Grat. c. 14. ibi: *Et quod ſcriptum eſt, quòd* vult omnes homines ſalvos fieri, *nec tamen omnes ſalvi fiunt, multis quidem modis intelligi poteſt, ex quibus in aliis opuſculis noſtris aliquos commemoravimus: ſed hìc unum dicam, ita dictum eſt:* Omnes homines vult ſalvos fieri, *ut intelligantur omnes prædeſtinati, quia omne genus hominum in eis eſt, ſicut dictum eſt Phariſæis* Decimatis omne olus, *ubi non eſt intelligendum, niſi omne quod habebant: neque enim omne olus, quod erat in toto terrarum orbe, decimabant.* Luc. 11. v. 42.

& ex Apoſt. 1. Cor. 10. v. 33. Addit ſecundam confirmationem: *Secundùm, inquit, iſtum locutionis modum, dictum eſt:* Sicut & ego omnibus per omnia placeo: *Numquid enim qui hoc dicit, placebat etiam tam multis perſecutoribus ſuis? Sed placebat omni generi hominum, quod Chriſti congregabat Eccleſia, ſive iam intus poſitis, ſive introducendis in eam.*

37. Prima expoſitio confirmatur ex Joan. 6. Similiter primam expoſitionem confirmare poſſumus ex alio loco Scripturæ, puta Joan. 6. v. 45. ubi Chriſtus ait: *Eſt ſcriptum in Prophetis: Et erunt omnes docibiles Dei. Omnis qui audivit à Patre, & didicit, venit ad me.* Quæ verba expendens Divus Auguſtinus lib. de Prædeſt. Sanctor. cap. 8. inquit: *Secundùm quemdam modum omnes Pater docet venire ad ſuum filium. Non enim fruſtra ſcriptum eſt in Prophetis*, Et erunt omnes docibiles Dei. *Quod teſtimonium cùm præmiſiſſet, tunc ſubdidit* (Chriſtus) Omnis qui audivit à Patre & didicit venit ad me. *Sicut ergo integrè loquimur cùm de aliquo litterarum Magiſtro, qui in civitate ſolus eſt, dicimus: Omnes iſte hìc litteras docet; non quia omnes diſcunt, ſed quia nemo niſi ab illo diſcit quicumque ibi litteras diſcit: ita rectè dicimus; omnes Deus docet venire ad Chriſtum: non quia omnes veniunt, ſed quia nemo aliter venit.*

Ergo conſimiliter rectè dicimus: *Omnes Deus vult ſalvos fieri*; non quia omnes ſalvi fiunt, ſed quia nemo aliter ſalvus fit; diſtribuendo videlicet ly *Omnes* accommodatè, eo modo quo diſtribuimus ly *Omnia*, quando dicimus: *Cœlum tegit omnia*, ſcilicet quæ tegit; Deus *vult omnes homines ſalvos fieri*, ſcilicet qui ſalvi fiunt, ita quòd Apoſtolus non voluerit ſignificare aliquam Dei voluntatem circa ſalutem omnium omnino hominum, ſed ſolùm commendare divinæ gratiæ neceſſitatem, ut intelligamus neminem, niſi Deo volente gratuitò miſereri, ad ſalutem pervenire.

38. Omitto tertiam expoſitionem, quam invenio lib. de Corrept. & Grat. c. 15. ibi: *Poteſt etiam ſic intelligi, quòd* omnes homines Deus vult ſalvos fieri, *quoniam nos facit velle, ſicut* miſit Spiritum filii ſui clamantem Abba Pater, *id eſt, nos clamare facientem. De ipſo quippe Spiritu, alio loco dicit*, Accepimus Spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus Abba Pater. *Nos ergo clamamus, ſed ille clamare dictus eſt, qui efficit ut clamemus. Si ergo* clamantem Spiritum *rectè dixit Scriptura, à quo efficitur ut clamemus; rectè etiam & volentem Deum, à quo efficitur ut velimus.* Ita quòd voluntas illa, quâ ſingulorum ſalus optatur, non in Deo, ſed in nobis reperiatur. Tertia expoſitio. Gal. 4. v. 6. Rom. 8. v. 15.

Quæ cùm ita ſint, liquet profectò, ſine omni errore illam Scripturam generalem: *Omnes homines vult ſalvos fieri*, intelligi poſſe de voluntate conſequenti, quâ Deus vult abſolutè omnes homines ſalvos fieri. Ipſe enim Auguſtinus eſt, cujus doctrinam Romana ſequitur & ſervat Eccleſia. Ipſe eſt, quem numquam ſiniſtræ ſuſpicionis ſaltem rumor aſperſit, *quem*, inquit Cæleſtinus Papa in Epiſtola pro Proſpero & Hilario cap. 2. *tantæ ſcientiæ olim fuiſſe meminimus, ut inter Magiſtros optimos, etiam à meis ſemper Prædeceſſoribus, haberetur.* 39. Concluditur, expoſitiones D. Aug. ſine omni errore poſſe ſuſtineri.

Noli ergo dicere cum aliquibus, expoſitiones illas parùm conſentaneas eſſe ſanctis litteris, & ita non admittendas: nam doctrina Auguſtini (inquit Felix de voluntate Dei cap. 5. diff. 2. n. 8.) in illis libris eſt tantæ auctoritatis, ut ſit approbata à ſummis Pontificibus; ita ut ſine temeritate ejus ſententia refutari non poſſit, ut ſacris litteris contraria.

Herculè ſcire cupio, quæ ſint iſtæ litteræ, quibus contrariantur hæ explicationes ſeu expoſitiones Divi Auguſtini? Sanè non aliæ eſſe poſſunt, quàm quæ ſignificant generalem voluntatem Dei omnes ſalvandi, & neminem damnandi. Sed cùm duplex ſit voluntas Dei, alia antecedens, alia conſequens, quidni de utraque pro occurrentia diverſarum circumſtantiarum, nunc de una, nunc de alia poſſint explicari? Nonne eadem verba diverſas patiuntur interpretationes? Nihil clarius eſt in tota Scriptura. 40. Eadem verba Scripturæ diverſas patiuntur interpretationes,

Audi quid dicat Trident. ſeſſ. 21. c. 1. de illis verbis Chriſti Joan. 6. v. 54 *Niſi manducaveritis carnem filiȷ hominis &c. Sed neque ex ſermone illo apud Ioann. 6. rectè colligitur utriuſque ſpeciei communionem à Domino præceptam eſſe, utcumque iuxta varias SS. Patrum & Doctorum interpretationes intelligatur.* ut patet in illis verbis Ioan 6. *Niſi manducaveritis* &c. *Trident.*

Si ille ſermo Chriſti varias patitur interpretationes, & ab his intelligitur de manducatione per fidem, ab aliis de reali manducatione corporis Chriſti; quidni etiam illa Apoſtoli verba: *Vult omnes homines ſalvos fieri*, intelligi commodè poſſint de utraque volun-

Ee tate

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK PADERBORN

tate Dei, antecedente nimirum, & conſequente? Nonne qui intelligit voluntatem conſequentem cum D. Auguſtino, ideo negat antecedentem? Aut qui intelligit antecedentem, ideo negat conſequentem? Minimè, ut jam oſtendo.

41. D. Aug. ex damnatione parvulorũ, morientium ſine Baptiſmo, probat illos non pertinere ad dictum Apoſt. *Vult omnes homines* &c. lib. 4 contra Jul. *Rom. 5. v. 18.*

D. Auguſtinus ex damnatione parvulorum, morientium ſine Baptiſmo, probat illos non pertinere ad illud dictum generale: *Vult omnes homines ſalvos fieri*, lib. 4. contra Julianum c. 8. ibi: *Cur ergo non ſic accipimus quod dictum eſt:* Qui omnes vult homines ſalvos fieri, & in agnitionem veritatis venire: *quomodo & illud accipimus, quod idem dixit Apoſtolus:* Per unius juſtificationem in omnes homines ad juſtificationem vitæ? *Hos enim* omnes vult Deus ſalvos fieri, & in agnitionem veritatis venire, *in quos omnes per unius iuſtificationem gratia pervenit ad iuſtificationem vitæ, ne dicatur nobis:* Si Deus vult omnes homines ſalvos fieri, & in agnitionem veritatis venire, *ſed ideo non veniunt, quia ipſi nolunt, cur tot millia parvulorum, qui non percepto Baptiſmate moriuntur, non veniunt in regnum Dei, ubi certa eſt* agnitio veritatis? *Numquid aut homines non ſunt, ut non pertineant ad id quod dictum eſt*, omnes homines? *Aut aliquis poterit dicere, Deus quidem vult, ſed ipſi nolunt, qui nondum velle ſeu nolle iſta noverunt?*

Et poſt pauca: *Sic ergo debet intelligi quod dictum eſt:* Omnes homines vult ſalvos fieri, & in agnitionem veritatis venire, *quemadmodum intelligitur quod dictum eſt:* Per unius juſtificationem in omnes homines ad juſtificationem vitæ. *Quod Apoſtolicum teſtimonium, ſi eo modo intelligendum putas, ut dicas* omnes *poſitos eſſe pro multis, qui iuſtificantur in Chriſto; multi quippe alij non vivificantur in Chriſto, reſpondebitur tibi, ſic etiam illic ubi dictum eſt,* Omnes homines vult ſalvos fieri, & in agnitionem veritatis venire: omnes *poſitos eſſe pro multis, quos ad iſtam gratiam vult venire.*

42. Simili modo argumentatur Epiſt. 107.

Simili modo argumentatur Sanctus Doctor Epiſt 107. ibi: *Quomodo dicitur omnes homines eam* (gratiam divinam) *fuiſſe accepturos, ſi non illi, quibus non donatur, eam ſuâ voluntate reſpuerent; quoniam Deus vult omnes homines ſalvos fieri, cùm multis non detur parvulis, & ſine illa plerique moriantur, qui non habent contrariam voluntatem, & aliquando cupientibus, feſtinantibuſq; parentibus, miniſtris quoque volentibus ac paratis, Deo nolente non detur, cùm repentè antequam detur expirat, pro quo ut acciperet currebatur? Vnde manifeſtum eſt, eos qui huic reſiſtunt tam perſpicuæ veritati, non intelligere omnino, quâ locutione ſit dictum, quòd om*nes homines vult Deus ſalvos fieri, *cùm tam multi ſalvi non fiant non quia ipſi, ſed quia Deus non vult, quod ſine ulla caligine manifeſtatur in parvulis: ſed ſicut illud, quod dictum eſt:* Omnes in Chriſto vivificabuntur, *cum tam multi æternâ morte puniantur, ideo dictum eſt; quia omnes quicumque vitam æternam percipiunt, non percipiunt niſi in Chriſto: ita quod dictum eſt,* Omnes homines vult Deus ſalvos fieri, *cùm tam multos nolit ſalvos fieri, ideo dictum eſt, quia omnes qui ſalvi fiunt, niſi ipſo volente non fiunt.* 1. Cor 15. v. 22.

43. D. Auguſt. ſequitur S. Proſper Epiſt. ad Rufinum.

Et verò hanc explicationem Divi Auguſtini ſequitur Sanctus Proſper Epiſt. ad Rufinum cap. 13. quod ſic incipit: *Et ubi eſt illud, quod nobis quaſi contrarium, à non intelligentibus ſemper opponitur: quòd* Deus velit omnes homines ſalvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire? *Numquid non ſunt de omnibus hominibus, qui à præteritis generationibus uſque in hoc tempus ſine* Dei *cognitione perierunt? Et ſi maioribus natu* (*quod non rectè dicitur*) *mala opera, quæ libero arbitrio commiſerant, obfuerunt; quaſi boni non mali gratiâ liberentur: inter ſalvatos parvulos, & non ſalvatos parvulos quæ meritorum potuit eſſe diſcretio?*

Et infrà: *Conſiteamur*, inquit, *neminem immeritò perdi, neminem meritò liberari, & omnipotentiſſimam* Domini *bonitatem omnes ſalvare, & omnes ad agnitionem veritatis imbuere, quos vult omnes fieri ſalvos, & ad agnitionem veritatis venire. Niſi enim ipſo vocante, docente, ſalvante nemo venit, nemo eruditur, nemo ſalvatur.*

Nonne hìc S. Proſper ſatìs manifeſtè excludit parvulos, qui moriuntur non percepto Baptiſmate, ab illo generali dicto: *Vult omnes homines ſalvos fieri?* Cur iſtud, niſi quia hìc intelligit cum Divo Auguſtino voluntatem conſequentem?

44. S. Proſper. 2. de Vocat. Gent. comprehendit parvulos ſub omnibus hominibus, quos Deus vult ſalvos fieri, etiam illos, qui ſine Baptiſmo moriuntur.

Et tamen non minùs apertè lib. 2. de Vocat. Gent. cap. 23. oſtendit eos ſub omnibus hominibus, quos Deus vult ſalvos fieri, comprehendi; ſic quippe ibi lego: *Et cùm quærimus: Quomodo omnes homines ſalvos fieri velit, qui non omnibus illud tempus impertit, in quo per voluntariam fidem percipiendæ gratiæ ſint capaces? Non irreligioſè arbitror credi, neque inconvenienter intelligi, quòd iſti paucorum dierum homines ad illam pertineant gratiæ partem, quæ ſemper eſt impenſa univerſis nationibus: quâ utique ſi bene eorum uterentur parentes, etiam ipſi per eoſdem iuvarentur. Omnia namque exordia parvulorum, totaq; illa principia necdum rationalis infantiæ ſub arbitrio iacent voluntatis alienæ, nec ullo modo eis, niſi per alios conſuli poteſt, & conſequens eſt illos ad eorum pertinere conſortium, quorum vel recto vel pravo aguntur affectu. ...... Sicut autem circa maiores præter illam generalem gratiam, parcius atque occultius omnium hominum corda pulſantem, excellentiore opere, largiore munere, potentiore virtute vocatio ſpecialis exeritur; ita etiam circa innumeros parvulos eadem manifeſtatur electio. Quæ quidem nec illis, qui renati non ſunt in parentibus, defuit, ſed*

*ſed iis qui renati ſunt præ parentibus affuit: ita ut multis ſæpè, quos ſuorum impietas deſeruit, alienorum cura ſervierit, & ad regenerationem venerint per extraneos, quæ eis non erat providenda per proximos.*

45. Dictum Apoſt. alio modo poſſe intelligi, quàm de voluntate conſequente, inſinuat ipſe D. Aug.

Profectò alio modo poſſe intelligi dictum Apoſtoli, quàm de voluntate conſequente circa prædeſtinatos, ſatìs inſinuat ipſe Auguſtinus ſuprà Enchi. c. 103. continuò attexens verbis commemoratis: *Et quocumque alio modo intelligi poteſt* (dictum Apoſtoli) *dum tamen credere non cogamur, aliquid omnipotentem Deum voluiſſe* (abſolutè) *fieri, factumq; non eſſe, qui ſine ullis ambiguitatibus ſi in cælo & in terra, ſicut & Veritas cantat*: Omnia quæcumque voluit fecit, *profectò facere noluit, quodcumque non fecit.* (Pſal. 113. v. 3.)

Voluntas antecedens non cogit nos credere, Deum aliquid voluiſſe fieri, factùmque non eſſe.

Sed numquid voluntas antecedens, de qua illud dictum intelligit Damaſcenus, & alii poſt ipſum, cogit nos credere, aliquid omnipotentem Deum voluiſſe fieri, factúmque non eſſe? Nequaquam. Omnes enim fatentur, & Catholicè fateri debent, Deum quæcumque voluit feciſſe eo modo quo voluit, abſolutè, ſi abſolutè voluit; conditionatè, ſi ſolùm voluit conditionatè.

46. Deus voluit omnes Angelos ſalvos fieri.

Putas, quia non poſſim prudenter cogitare, Deum voluiſſe omnes Angelos ſalvos facere? Si enim nullo modo voluit aliquos ſalvare, ut quid dedit omnibus auxilia ſufficientiſſima ad ſalutem conſequendam? Num ideo omnes ſalvati? Num ideo voluntas Dei victa à voluntate Angelorum? *Quantælibet ſint voluntates vel Angelorum, vel hominum,* inquit Auguſtinus Enchi. c. 102. *vel bonorum, vel malorum, vel illud, quod Deus, vel aliud volentes quàm Deus, omnipotentis voluntas Dei ſemper invicta eſt*: quoniam voluntas ſalvandi omnes Angelos non fuit abſoluta, ſed conditionata tantùm, ſi bene uterentur mediis ſufficientiſſimis ad illum finem à Deo ordinatis & collatis.

Pari ergo ratione, tametſi non omnes homines ſalventur, quos Deus voluit ſalvos fieri, nihilominus omnipotentis voluntas Dei invicta eſt; quia non voluit abſolutè eos ſalvos fieri (immo abſolutè noluit) ſed tantùm ſub conditione, ſi bene uterentur mediis ſufficientibus ad ſalutem conſequendam à Deo ordinatis, & ſingulis oblatis.

47. Voluntas Dei ſemper invicta eſt, licet multi faciant contra ejus voluntatem. S. Auguſt.

Appoſitè Divus Auguſtinus lib. de Spirit. & lit. cap. 33. *Vult Deus omnes homines ſalvos fieri, & in agnitionem veritatis venire; non ſic tamen ut eis adimat liberum arbitrium, quo vel bene, vel malè utentes, iuſtiſſimè iudicentur. Quod cùm ſit, infideles quidem contra voluntatem Dei faciunt, cùm eius Euangelio non credunt: nec ideo tamen eam vincunt; verùm ſeipſos fraudant magno & ſummo bono, maliſq; pœnalibus implicant, experturi in ſuppliciis poteſtatem eius, cuius in donis miſericordiam contempſerunt. Ita voluntas Dei ſemper invicta eſt; vinceretur autem, ſi non inveniret, quid de contemptoribus faceret, aut ullo modo poſſent evadere, quod de talibus ille conſtituit.*

Probatur à ſimili.

*Qui enim dicit, volo quòd hi omnes ſervi mei operentur in vinea, & poſt laborem requieſcentes, epulentur, ita ut quiſquis eorum hoc noluerit, in piſtrino ſemper molat: videtur quidem quicumque contempſerit, contra voluntatem Domini ſui facere, ſed tunc eum vincet, ſi & piſtrinum contemnens effugerit, quod nullo modo fieri poteſt ſub Dei poteſtate ..... Ille igitur reus erit ad damnationem ſub poteſtate eius, qui contempſerit ad credendum miſericordiam eius.*

Conſentire vel diſſentire vocationi Dei, propriæ voluntatis eſt.

Et ibidem cap. 34. ſic inquit: *His ergò modis quando Deus agit cum anima rationali ut ei credat, neque enim credere poteſt quodlibet libero arbitrio, ſi nulla ſit ſuaſio, vel vocatio, cui credat; profectò & ipſum velle credere Deus operatur in homine, & in omnibus miſericordia eius prævenit nos; conſentire autem vocationi Dei, vel ab ea diſſentire, ſicut dixi, propriæ voluntatis eſt.*

48. Utrùm voluntas quâ credimus ſit donum Dei.

Pro intellectu hujus loci ſatìs difficilis, nota, quæſtionem fuiſſe Auguſtinum inter & Pelagium, Utrùm voluntas illa, quâ credimus, etiam ipſa donum Dei ſit, an ex illo naturaliter inſito libero adhibeatur arbitrio. *Si enim dixerimus* (inquit Auguſtinus cap. 33. citato) *eam non eſſe donum Dei, metuendum eſt, ne exiſtimemus inveniſſe nos aliquid, quod Apoſtolo increpanti & dicenti*: Quid enim habes quod non accepiſti? Si autem & accepiſti, quid gloriaris quaſi non acceperis? (1. Cor. 4. v. 7.) *Reſpondere poſſimus, ecce habemus voluntatem credendi, quam non accepimus: ecce ubi gloriamur quod non accepimus. Si autem dixerimus, etiam huiuſmodi voluntatem non eſſe niſi donum Dei, rurſus metuendum eſt, ne infideles atque impii non immeritò ſe veluti iuſtè excuſare videantur, ideo non credidiſſe, quòd dare illis Deus iſtam noluit voluntatem.* Hoc notato,

49. Reſponſio Adverſariorum ad D. Aug.

Reſpondent Adverſarii, Auguſtinum in verbis præallegatis n. 47 non ſuam, ſed aliorum ſolutionem afferre, examini deinde ſubjiciendam; eſſe hanc ipſiſſimam Pelagianorum, & ipſius Auguſtini quondam errantis, & poſtea Maſſilienſium ſententiam, ipſummet Auguſtinum vocare illam diſputationem, non autem ſolutionem cùm dicit cap. 34. *Hæc diſputatio, ſi quæſtioni illi ſolvendæ ſufficit, ſufficiat.* Vocare dubitationem cùm dicit: *Si ſufficiat*; non aſſertionem, *quod ſufficiat.* Refellere ſtatim eamdem ſolutionem cùm ſubjicit: *Si autem reſpondetur, cavendum eſſe ne quiſquam Deo tribuendum putet peccatum, quod admittitur per liberum arbitrium, ſi in eo quod dicitur*, quid habes quod non accepiſti? *propterea etiam voluntas quâ credimus, dono Dei tribuitur, quia de libero exiſtit arbitrio, quod cùm crearemur accepimus.* Et illico ſuam, veramque ſolutionem afferre cùm attexit: *Attendat & videat, non ideo tantùm iſtam voluntatem divino muneri tribuendam, quia ex libero arbitrio eſt, quod nobis naturaliter concreatum eſt,*



UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK PADERBORN

*verùm etiam quod viſorum ſuaſionibus agit Deus ut velimus , & ut credamus* &c.

Quæ ſanè ( inquiunt ) manifeſtiſſimè oſtendunt, Auguſtinum in loco illo non tradere doctrinam ſuam , ſed adverſariam , non docere , ſed diſputare , non aſſerere , ſed refellere; adeoque mirabili hallucinatione Recentiores objectionem pro ſolutione , Pelagianam reſponſionem pro Auguſtini doctrina, errorem pro veritate accepiſſe.

50. Rejicitur. Sed ne illi mirabiliter hallucinentur , qui Recentiores mirabiliter hallucinari exiſtimant. Fatentur Recentiores , Auguſtinum dum incipit reſpondere quæſtioni propoſitæ, eo modo loqui , qui ſimilior eſt referenti aliorum ſententiam , quàm proponenti ſuam, cùm dicit: *Priùs igitur illud dicamus , & videamus, utrùm huic ſatisfaciat quæſtioni , quod liberum arbitrium naturaliter attributum à Creatore animæ rationali, illa media vis eſt,quæ vel intendi ad fidem, vel inclinari ad infidelitatem poteſt. Et ideo nec iſtam voluntatem, quâ credit Deo, dici poteſt homo habere, quam non acceperit : quandoquidem vocante Deo ſurgit de libero arbitrio , quod naturaliter cùm crearetur accepit.* Sed quid tum ?

Quare aliquis diſcurſus vocetur diſputatio. Siquidem hic eſt mos eorum , qui problemata ſolvunt, qui etſi referant ſuam ſententiam , tamen videntur in initio approbationem ſuſpendere , quaſi tentando quid dici poſſit , & ideo hujuſmodi diſcurſus vocatur diſputatio. Interim non eſt completa diſputatio alicujus quæſtionis , quæ reſponſione & ſolutione caret.

Non eſt completa diſputatio, quæ caret ſolutione. Hinc illa verba S. Doctoris in principio c. 34. *Hæc diſputatio ſi quæſtioni illi ſolvendæ ſufficit, ſufficiat.* q. d. quiſquis ſibi ſatisfactum putaverit per illam diſputationem & ſolutionem, in ea quieſcat. Putas autem quia Auguſtinus voluit animum quieſcere in doctrina Pelagii , quam ibi acriter impugnabat ? Non eſt veriſimile.

51. Occurritur objectioni. Nec obſtat, quod illico ſubjungat : *Si autem reſpondetur* &c. illa enim eſt objectio Adverſariorum contra illud , quod præcedente capite docuerat Auguſtinus, procedens ex malo intellectu verborum ; quippe non dixerat Auguſtinus , propterea voluntatem , quâ credimus , dono Dei tribuendam , quia de libero exiſtit arbitrio , quod cùm crearetur accepimus ; ſed , quia *vocante Deo ſurgit de libero arbitrio.*

Et quoniam ly *Vocante Deo* , intelligi poterat , & à Pelagianis intelligebatur,de externa & naturali vocatione , cùm tamen ſecundùm fidem Catholicam intelligendum eſſet de vocatione interna & ſupernaturali ; hinc ſeipſum clariùs volens explicare S. Doctor c. 34. ſic reſpondet iſti objectioni.

Voluntas credendi à Deo,& quomodo. *Attendat & videat , non ideo tantùm iſtam voluntatem* ( credendi ) *divino muneri tribuendam, quia ex libero arbitrio eſt , quod nobis naturaliter concreatum eſt ; verùm etiam quod viſorum ſuaſionibus agit Deus ut velimus , & ut credamus, ſive extrinſecùs per Euangelicas exhortationes, ubi & mandata legis aliquid agunt , ſi ad hoc admonent hominem infirmitatis ſuæ , ut ad gratiam iuſtificantem credendo confugiat : ſive intrinſecùs , ubi nemo habet in poteſtate quid ei veniat in mentem , ſed conſentire vel diſſentire propriæ voluntatis eſt. His ergo modis quando Deus agit cum anima rationali ut ei credat , neque enim credere poteſt quodlibet libero arbitrio , ſi nulla ſit ſuaſio , vel vocatio , cui credat, profectò & ipſum velle Deus operatur in homine , & in omnibus miſericordia eius prævenit nos ; conſentire autem vocationi Dei , vel ab ea diſſentire , ſicut dixi, propriæ voluntatis eſt.* S. Aug.

Si diſſentire gratiæ interiori propriæ voluntatis eſt : ergo poteſt homo diſſentire , ſi velit , ut definitum eſt in Concilio Trid. ſeſſ. 6. can. 4. hiſce verbis : *Si quis dixerit , liberum hominis arbitrium à Deo motum , & excitatum, nihil cooperari aſſentiendo Deo excitanti , atque vocanti , quo ad obtinendam iuſtificationis gratiam ſe diſponat ac præparet ; nec poſſe diſſentire , ſi velit, ſed veluti inanime quoddam nihil omnino agere, mereq; paſſivè ſe habere ; anathema ſit.* 52. Poteſt homo diſſentire gratiæ interiori ſi velit Conc. Trid.

Reſpondent Adverſarii primò, Concilium nihil aliud velle , quàm diſſenſum eſſe actum voluntatis. Sed quis hoc ignorat , aut quis umquam hoc negavit , ut propterea id Concilium debuerit definire ? Prima reſponſio Adverſ. rejicitur.

Reſpondent ſecundò , *Si velit* , intelligendum eſſe , poſtquam jam liberum arbitrium gratiæ cooperatum eſt. 53. Secunda reſponſio

Sed contrà : ſi poſt poteſt diſſentire , cur non etiam antea ; nam vel manet gratia illa actualis poſt primum aſſenſum , vel non ; ſi manet , eſt eadem ratio ; ſi non manet , ſed ſolùm eſt gratia habitualis , non eſt ad propoſitum : quippe Concilium hìc non definit hominem poſſe diſſentire ſive abjicere gratiam habitualem, ſi velit ; hoc enim definit can. 23. *Si quis hominem ſemel iuſtificatum dixerit ampliùs peccare non poſſe , neque gratiam amittere* &c. *anathema ſit* , ſed poſſe diſſentire gratiæ actuali. impugnatur.

Quòd ſi intelligas , poſſe diſſentire , ſi gratia actualis non maneat , nullus hoc umquam negavit ; cùm tamen illa definitio Concilii facta ſit contra Calvinum , & alios hæreticos , qui volebant , ſtante gratiâ actuali nos neceſſariò operari ; qui , inquam , negabant indifferentiam proximam ad non obſequendum divinæ gratiæ.

Quippe Calvinus in Antidoto ad can. 5. ſeſſ. 6. Conc. Trid. contendit definitionem Concilii non eſſe veram , ſi per liberum arbitrium intelligatur eligendi facultas , quæ ſit in utramque partem ſoluta & libera. Nam ſi quis liberum arbitrium vocare velit facultatem illam , quâ quis voluntate agit , non coactione ; jam dixerat in Inſtit. l. 2. c. 2. §. 7. 54

ſe illi

ſe illi non repugnaturum; & ideo contra Pighium ſic loquitur: *Si coactioni opponitur libertas, liberum arbitrium eſſe & fateor, & conſtanter aſſevero, ac pro hæretico habeo quiſquis ſecus ſentiat.*

Calvinus admittit liberum arbitrium ſi coactioni opponitur libertas.

Neque ſolùm agere de voluntate ſine gratiæ adjutorio, ſed etiam cum illo, patet ex Antidoto ad can. 4. ſeſſ. 6. ubi pag. 702. edit. Genu. anno 1552. ſic loquitur: *Porrò ne longius hìc immoremur, dico, apertè pugnare, quod hìc pronuntiant Trid. PP. cum illa Chriſti ſententia:* Quiſquis audivit à Patre meo &c. *conſtituunt autem hoc in hominis optione, ut Dei inſpirationi, ſi velit, auſcultet, hæc nullo modo conciliari poſſunt.* Hæc ille; cùm tamen paulò ante dixiſſet *non cogi homines invitos Dei gratiâ, ſed voluntarios regi, ut ſponte pareant, & ſequantur.*

Calvinus non negavit adjutorium gratiæ.

55\. Calvinus non negavit hominem gratiæ pediſſequâ voluntate conſentire.

Reſpondent; Calvinum errare in hoc, quòd nolit hominem gratiæ pediſſequâ voluntate conſentire,

Sed contrà; ſic loquitur Calvinus: *Sed erunt fortè qui concedent, voluntatem ſuapte ingenio averſam, ſolâ Domini virtute converti, ſic tamen ut preparata, ſuas deinde in agendo partes habeat: quemadmodum docet D. Auguſt. omne bonum opus gratiam præcedere, & id comitante non ducente, pediſſequâ non praviâ voluntate. Quod non malè à S. Viro dictum, præpoſterè huc detorquet Petrus Lombardus* &c.

Ergo admittit in aliquo ſenſu dictum D. Auguſtini, & hunc ſenſum explicat infrà his verbis: *Quatenus à gratia prævenitur, in eo ut pediſſequam appelles tibi permitto.*

Quòd etiam non neget cooperationem voluntatis, patet ex aliis ejus verbis: *Quod autem*, inquit, *alibi dicit Auguſtinus, non tolli gratiâ voluntatem, ſed ex mala mutari in bonam, & cùm bona fuerit adiuvari; ſignificat tantùm, hominem non ita trahi, ut ſine motu cordis quaſi extraneo impulſu feratur, ſed intùs ſic affici, ut ex corde obſequatur.*

56\. Quo ſenſu Calvinus negaverit bene & malè agere eſſe in noſtro poteſtate.

Hoc ergo ſolo ſenſu negavit Calvinus, virtutes & vitia, bene & malè agere, eſſe in noſtra poteſtate; id eſt, in libera noſtra electione, quaſi noſtri juris ſit primam ſive prævenientem gratiam Dei, vel reſpuendo irritam facere, vel obedienter ſequendo confirmare. *Quotus quæſo quiſque eſt* (inquit 2. Inſtit. c. 2. §. 7.) *qui dum aßignari homini liberum arbitrium audit, non ſtatim concipit illum eſſe & mentis ſuæ & voluntatis dominum, qui flectere ſe in utramvis partem à ſeipſo poßit?* Quod ibi Calvinus negat verum eſſe.

57\. Calvinus agnoſcit actiones ſpontaneas.

Alioquin ſe agnoſcere actiones ſpontaneas, ibidem §. 5. declarat his verbis: *Obtinuit in ſcholis diſtinctio, quæ triplicem libertatem numerat: à neceßitate primam, ſecundam à peccato, tertiam à miſeria; quarum prima ſic homini naturaliter inhæreat, ut nequeat ullo modo eripi, duæ alteræ per peccatum ſint amiſſæ. Hanc diſtinctionem ego libenter recipio, niſi quòd illic neceßitas cum coactione perperàm confunditur: inter quas quantùm ſit diſcriminis, & quàm neceſſariò conſiderandum, alibi apparebit.*

Et ſubdit §. 7. *Liberi ergo arbitrii hoc modò dicetur homo, non quia liberam habeat boni æquè ac mali electionem, ſed quia malè voluntate agit, non coactione. Optimè id quidem: ſed quorſum attingebat rem tantulam adeò ſuperbo titulo* (liberi arbitrii) *inſignire?*

Porrò § 8. ſic concludit: *Itaque ſi quis vocis huius* (liberum arbitrium) *uſum non pravâ intelligentiâ ſibi permittat, per me quidem non vexabitur ob eam rem: ſed quia ſine ingenti periculo non poſſe retineri cenſeo, magno contra Eccleſiæ bono futurum ſi aboleatur: neque ipſe uſurpare velim, & alios ſi me conſulant, abſtinere optarim.*

Hæc Calvinus; qui tamen exiſtimat doctrinam ſuam à Concilio Trid. condemnatam; ut proinde illud, *Poſſe diſſentire, ſi velit*, nequeat intelligi de potentia remota, ſeu voluntate ſine gratia, ſed debeat intelligi de indifferentia proxima, ita quòd ſicut voluntas habitâ gratiâ actuali eſt proximè potens conſentire, ita etiam ſit proximè potens diſſentire.

Concluſio, quòd Trid. intelligendum ſit de potentia proxima.

Verùm obſtare videtur, quod ſubjungitur iſtis verbis in can. 4. *Sed veluti inanime quoddam nihil omnino agere, mereq́; paßivè ſe habere.* Per quæ apparet Concilium velle indicare, quid ſit *poſſe diſſentire, ſi velit*, puta aliquid agere, neque merè paſſivè ſe habere. 58.

Objectio ex ipſis verbis Trident.

Veluti can. 6. ubi Concilium docet, Deum ſolùm permiſſivè concurrere ad opera mala; explicant hoc cõmuniter DD. non quòd Deus nullo modo poſitivè concurrat ad opus malum (nam communis ſententia docet, Deum poſitivè concurrere ad materiale peccati, juxta illud D. Anſelmi lib. de concord. præſcientiæ &c. c. 7. *Facit Deus omnia quæ iuſtâ vel iniuſtâ voluntate fiunt, id eſt, bona opera & mala. In bonis quidem facit, & quòd ſunt, & quòd bona ſunt; in malis verò facit quòd ſunt, ſed non quòd mala ſunt.* Unde Scotus 1. diſt. 41. n. 13. *Scit* (Deus) *hunc* (hominem) *peccaturum, non ſolùm quòd ſcit ſe permiſſurum, ſed etiam quia ſcit ſe cooperaturum huic ad ſubſtantiam actûs non circumſtantionati*) ſed quòd non ita concurrat, ſicut ad opus bonum; idque quia ſubjungitur in canone: *Sed etiam propriè & per ſe, adeò, ut ſit proprium eius opus non minùs proditio Iudæ, quàm vocatio Pauli.*

D. Anſelmus.

Scotus.

Reſpondeo diſparitatem eſſe, quòd hæretici docuerint, Deum æquè concurrere ad actum malum atque bonum, ut colligitur ex Concilio Arauſicano II. cap. 25. ibi: *Aliquos verò ad malum divinâ poteſtate prædeſtinatos eſſe, non ſolùm non credimus, ſed etiam ſi ſunt, qui tantum malum credere velint, cum omni deteſtatione illis anathema dicimus*: at verò DD. Catholici communiter docent & docuerunt, Deum concurrere poſitivè ad materiale peccati, ut proinde dici nequeat Concilium voluiſſe commu- 59.

Reſponſio.

nem illam ſententiam damnare. Jam autem, ut oſtendimus ex Calvino, numquam hic negavit cooperationem voluntatis, ſed ſolam liberam cooperationem, ſeu indifferentiam.

60. Concluditur vel Calvinum idem docuiſſe quod S. Aug.

Vel ergo Calvinus idem docuit, quod Auguſtinus, à quo Adverſarii non abhorrent, quando dicunt, non omnia, quæ hæretici docuerunt, eſſe hæretica, neque propter Calvinum Auguſtinum debere luere. *An ideo* (inquiunt) *negandum eſt, quod apertiſſimum ac certiſſimum eſt, Auguſtinum videlicet, & diſcipulos ac poſteros eius ſanctos Patres ita conciliaſſe gratiam cum libero arbitrio, ut gratia non cogat violenter voluntatem, ſed ſuaviter ei velle tribuat; atque ita non nihil inſtar lapidis agat, ſed aliquid etiam proprio motu cooperetur, nec alius de ipſo homine, ſed ipſe homo velit; an hoc, inquam, ideo negandum eſt Auguſtinum ſenſiſſe, ac docuiſſe, quia Calvinus etiam in immunitate coactionis libertatem videtur voluiſſe collocare?*

Vel S. Aug. loco citato de Spir. & lit. non tradere ſententiam Pelagianorum, ſed propriã & veram.

Vel certè dicendum eſt, Auguſtinum loco citato de Spir. & lit. c. 33. non tradere ſententiam Pelagianorum, vel Maſſilienſium, ſed propriam & veram, quam ſemper tenuit & docuit; nimirum voluntatem credendi eſſe donum Dei, non ideo tantùm, quia ex libero arbitrio eſt, quod nobis naturaliter concreatum eſt, verùm etiam quod de libero arbitrio ſurgit vocante Deo, id eſt, Deo agente viſorum ſuaſionibus; ut proinde nec iſtam voluntatem dici poſſit homo habere, quam non acceperit.

61. Error Maſſilienſium, fidem eſſe ex nobis.

Contrarium docebant Maſſilienſes, ut patet ex Epiſtola Hilarii ad Auguſtinum ibi: *Nec de hac fide poſſe dici*, Quid habes quod non accepiſti? *cùm in eadem natura remanſerit, licèt vitiata, quæ priùs ſana ac perfecta donata ſit.* Ubi, ut vides, fidem tribuunt ſolis viribus naturæ.

S. Hilarius.

S. Aug.

Immo ipſe D. Auguſtinus ita proponit eorum ſententiam lib. de Prædeſt. SS. c. 2. *Sed nunc*, inquit, *eis reſpondendum eſſe video, qui divina teſtimonia, quæ de hac re adhibuimus, ad hoc dicunt valere, ut noverimus, ex nobis quidem nos habere ipſam fidem, ſed incrementum eius ex Deo; tamquam fides non ab ipſo donetur nobis, ſed ab ipſo tantùm augeatur in nobis eo merito, quo cœpit à nobis.*

62. quem refellit D. Aug. loco citato de Spir. & lit.

Illam itaque ſententiam loco citato refellit D. Auguſtinus, confitens gratiam & miſericordiam divinam etiam ad primam fidem. *Ille*, inquit, *reus erit ad damnationem ſub poteſtate eius, qui contempſerit ad credendam miſericordiam eius. Quiſquis autem crediderit ei, qui ſe à peccatis omnibus abſolvendum, & ab omnibus vitiis ſanandum, & calore ac lumine eius accendendum illuminandumq; non contempſerit, habebit ex eius gratia opera bona, ex quibus etiam ſecundùm corpus à mortis corruptione redimatur, coronetur, boniſque ſatietur non temporalibus, ſed æternis ſuprà quàm petimus & intelligimus. Hunc ordinem tenuit Pſalmus ubi dicitur: Benedic anima mea Dominum, & noli oblivíſci omnes retributiones eius* &c. Pſal. 102. v. 2. & ſequentibus.

Et poſt pauca: *Recole mecum eadem ipſa paululùm obſecro te, & inſpice delectabiliter laudem miſericordiæ, hoc eſt gratiæ Dei.* Benedic, *inquit*, anima mea Dominum, & noli oblivíſci omnes retributiones ejus. *Non ait, tributiones, ſed* retributiones ejus, *qui tribuit bona pro malis.*

In fine autem capitis ſic reſumit: *Ita nec arbitrium liberum tollimus, & benedicit anima noſtra Dominum, non obliviſcens omnes retributiones eius. Nec ignorans Dei iuſtitiam, ſuam vult conſtituere, ſed credit in eum qui iuſtificat impium, & vivit ex fide* &c.

Et ſtatim in principio ſequentis capitis: *Hæc*, inquit, *diſputatio, ſi quæſtioni illi ſolvendæ ſufficit, ſufficiat. Si autem reſpondetur* &c. Quæ proinde verba non poſſunt eſſe refutatio eorum, quæ antè dicta ſunt, niſi velimus, Auguſtinum refutare delectabilem illam miſericordiæ & gratiæ Dei laudem, & concordiam liberi arbitrii cum gratia.

Quid ergo? Ut ſuperiùs dixi, hoc cap. 34. magìs explicat, quæ docuerat cap. 33. tum propter ambiguitatem illius particulæ, *Vocante Deo*, quam oſtendit ſe intellexiſſe de vocatione interna & ſupernaturali: tum propter obſcuritatem illius vocis, *liberum arbitrium*; cùm enim triplex ſit libertas, prima à neceſſitate, ſecunda à peccato, tertia à miſeria, ne relinqueret ullam occaſionem dubitandi, de qua libertate intelligi deberet, quod dixerat cap. 33. voluntatem Dei, quâ vult omnes homines ſalvos fieri, non auferre liberum arbitrium, quo vel bene vel malè utuntur homines, cap. 34. utitur hâc forma verborum: *Conſentire autem vocationi Dei, vel ab ea diſſentire, propriæ voluntatis eſt.* Ac ſi diceret: voluntas excitata à Deo per internam gratiam, poteſt ei conſentire, vel ab ea diſſentire, ſi velit; adeoque eſt libera à neceſſitate, ſive eſt indifferens ad utrumque.

63. oſtenditur cap. 34. ſe locutum fuiſſe cap. 33. de vocatione per internam gratiam, & per liberum arbitrium intellexiſſe arbitrium indifferens ad utrumque.

Si enim voluiſſet tantùm ſignificare, conſentire & diſſentire eſſe officia voluntatis, præterquam quòd nemo hoc unquam negaverit, ut propterea non debuerit S. Doctor toties illud inculcare; ut, inquam, hoc omittam, tunc potiùs ſic debuiſſet dicere: *Conſentire & diſſentire propriæ voluntatis eſt*, ſicut dicitur *Affirmare & negare proprium eſt intellectûs.* Igitur per ly *Vel*, voluit ſignificare, voluntatem expeditam in utramque partem, & nullâ conſtrictam neceſſitate.

64. Perperam dicitur Aug. ſolùm voluiſſe ſignificare, conſentire & diſſentire eſſe officia voluntatis.

Alioquin ſicut incongruè loqueretur, qui diceret: *Deus videt ſeipſum clarè, ſed amare, vel non amare, propriæ voluntatis eſt*; ita etiam qui diceret: *In omnibus miſericordia eius prævenit nos, ſed conſentire, vel diſſentire, propriæ voluntatis eſt*, ſuppoſito, quòd ſicut viſio Dei determinat voluntatem Dei ad ſe amandum, ita etiam gratia determinet voluntatem ad aſſentiendum;

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK PADERBORN

dum; non enim relinquitur locus particulæ disjunctivæ, ubi eſt determinatio neceſſitans ad unam partem.

65. *Agit Aug. ibi de gratia efficaci, adeoque non ſufficit, quòd voluntas diſſentiat aliquando vocationi inſufficienti.*

Nec dici poteſt, ſufficere ad libertatem à neceſſitate, quòd voluntas aliquando reſiſtat ſeu diſſentiat vocationi Dei internæ, ſed inſufficienti ad eliciendum perfectum conſenſum; nam agit D. Auguſtinus de gratia efficaci, ſive de tali vocatione, quâ agit Deus ut velimus, & ut credamus. Certum autem eſt quòd talis vocatio ſit ſufficientiſſima ad eliciendum perfectum conſenſum, imò quà talis infallibiliter habet hujuſmodi conſenſum adjunctum.

*An aliquando reſiſtatur gratiæ inſufficienti? Quid ſit reſiſtere?*

Et ſanè neſcio, quid aliqui intelligant, quando id dicunt. Quomodo enim ei reſiſtitur, ſi totum operatur quod poteſt operari? Reſiſtere enim eſt impedire, quò minùs aliquid fiat, quod aliàs fieret. Si autem illa gratia non poſſit habere alium effectum, quàm habuit, quomodo impeditur in ſua operatione? Certè non magìs, quàm impeditur gratia efficax: cùm utraque, ut ſupponitur, habeat totum ſuum effectum, ad quem à Deo ordinata fuit.

66. *Non reſiſtit qui tam diù cedit quamdiu impellitur.*

Nonne alteri reſiſtit, qui tam diù illi cedit, quamdiu ab illo impellitur? Numquid alterius ſuaſioni diſſentit, qui imperfectum conſenſum, qui ſolùm exigebatur, continuò exhibet? Putas quia in vacuum gratiam Dei recipit, qui per gratiam efficit, quod Deus volebat? Et tamen reſiſtitur gratiæ divinæ, & in vacuum à multis recipitur. *Vocavi & renuiſtis* (inquit Deus Proverb. 1. v. 24) *extendi manum meam, & non fuit qui aſpiceret* &c. Prov. 1.
Iſa. 5. v. 4. *Quid eſt quod ultra debui facere vineæ meæ, & non feci? An quod expectavi ut faceret uvas, & fecit labruſcas?* Act. 7. v. 51. *Vos ſemper Spiritui ſancto reſiſtitis* &c. 2. ad Cor. 6. v. 1. *Videte ne in vacuum gratiam Dei recipiatis.* Iſa. 5. Act. 7. 2. Cor. 6.

67. *Voluntas ſæpè diſſentit gratiæ ſufficienti.*

Quæ ſanè exprobationes ſeu exhortationes manifeſtè ſupponunt vocationem internam ſufficientem ad annuendum; irrigationem ſufficientem ad proferendas uvas operum ſalutis; auxilium ſufficiens ad Spiritui ſancto non reſiſtendum: fieri poſſe ut vera gratia à Chriſto danda, alioquin ſufficiens ad perfectum conſenſum, in vacuum recipiatur; adeoque ſtare penes hominem, quòd renuat, quòd labruſcas proferat, quòd gratiæ reſiſtat, eamque faciat in vacuum recipi, id eſt, infructuosè & ſine effectu, quem aliàs poſſet habere, ſi homo vellet.

S. Aug. *Decertant*, inquit Auguſtinus Serm. 17. de Verbis Apoſtoli c. 4. *in te duæ delectationes.* Sed quis exitus in peccatore? *Habet concupiſcentiam, cum qua pugnet, eamq; adiuvante Deo ſuperet, ſi non in vacuum gratiam eius ſuſceperit, ſi reprobatus eſſe noluerit*, ait idem S. Doctor lib. 1. de peccat. merit. c. 39. Nam cùm hæc gratia impiorum animos pulſat, *cor eorum* (utor verbis Auguſtini initio præfat. in Pſalm. 124.) *congelaſcit adversùs Deum, & fit durum adversùs imbrem gratiæ ipſius, ne fructum ferat.*

Experientia teſtis eſt. Audi D. Auguſtinum de ſe loquentem lib. 6. confeſſ. c. 11. 68. **Experientia teſtis eſt.**
*Alternabant*, inquit, *hi venti, & impellebant huc atque illuc cor meum, tranſibant tempora, & tardabam converti ad Dominum Deum, & differebam de die in diem vivere in te, & non differebam quotidie in memetipſo mori.* S. Aug. Et l. 8. c. 5. *Intelligebam meo ipſo experimento id quod legeram, quomodo caro concupiſcit adversùs ſpiritum, & ſpiritus adversùs carnem* &c. *Cogitationes quibus meditabar in te, ſimiles erant conatibus expergiſci volentium, qui tamen ſuperati ſoporis altitudine remerguntur.*

Ideoque Seraphicus ille Patriarcha Franciſcus Tom. 3. Opuſc. Apophtegmate 19. confitetur, quod ſi *Deus maximo peccatori illam gratiam feciſſet quam ſibi, is multò meliùs eâ uſus fuiſſet, ſanctiorq; evaſiſſet.* *S. Franciſcus*

Ut proinde ſcitè dixerit B. Laurentius Juſtinianus initio lib. de Spirit. animæ Reſurrect: *Quàmvis ad inſinuandum hominem poſſe Deo reſiſtere, multis divinorum eloquiorum valeat auctoritatibus comprobari, id tamen unuſquiſque ſufficienter experitur in ſe. Quis, oro, tantâ ſanctitate eſt præditus, ut ſæpiſſimè aſpirationi non renitatur internæ, aut torpore victus, aut propriâ affectione ſeductus? O quantis clamoribus introrſus, quantiſve exhortationibus ſacris excitatur peccator, antequam de morte, ſeu ſomno delictorum evigilet!* *B. Laur. Juſtinianus.*

69. **Homo poteſt diſſentire gratiæ efficaci eſtò illi quà tali numquam diſſentiat.**

Quapropter, ſalvo meliori judicio, fatendum omnino eſt, quòd homo poſſit diſſentire illi gratiæ, quâ Deus agit ut velimus, & ut credamus, quamvis actu illi quà tali numquam diſſentiat. Quin imò implicat, ſuppoſito quòd ſit gratia operans ſive adjuvans, voluntatem in ſenſu compoſito illi diſſentire, ſic enim operaretur, & non operaretur, diſſenſus componi deberet cum aſſenſu, quod eſt impoſſibile, ut patet.

Hinc D. Anſelmus lib. de Concord. c. 1. *D. Anſelmus.*
*Si eſt aliquid futurum ſine neceſſitate, hoc ipſum præſcit Deus, quod autem præſcit, neceſſitate futurum eſt ſicut præſcitur, neceſſe eſt ergo aliquid futurum ſine neceſſitate.* Neque *debes dicere, Præſcit me Deus peccaturum, vel non peccaturum* (ſeu bene acturum) *& ita ſequitur, quia ſive peccaveris, ſive non peccaveris* (ſive aſſenſum præbueris gratiæ divinæ, ſive diſſenſum) *utrumque ſine neceſſitate erit.* Et tamen quodammodo neceſſitate; *ſed quæ deſcendit de libera voluntate; poteſt namque non velle, antequam velit, & cùm vult, non poteſt non velle, ſed eam velle neceſſe eſt, quoniam impoſſibile illi eſt idipſum ſimul velle, & non velle.*

70. **Ut voluntas liberè conſentiat huic gratiæ, non eſt neceſſe ut eadem**

An autem, ut voluntas liberè conſentiat huic gratiæ, debeat eadem, vel alia voluntas, eidem gratiæ in ſua eſſentia, aliquando actu diſſentire, puto quòd non; ſed videtur ſufficere, quòd eadem, vel alia voluntas gratiæ

dem, vel alia voluntas, eidem gratiæ aliquando diſſentiat.

tiæ ſufficienti, quam vocant, ſive ſit eadem, ſive diverſa in eſſentia à gratia efficaci, aliquando diſſentiat (in quo diſcedimus à Calvino ſuprà, qui non videtur agnoviſſe ullam gratiam merè ſufficientem, ſed conſtanter aſſeruiſſe, omnem gratiam neceſſitare) nam actio libera eſt, quæ poſitis omnibus ad agendum prærequiſitis, ita elicitur à voluntate, ut poſſit non elici. Jam autem gratia efficax quà talis, non ita eſt quid prærequiſitum, quàm requiſitum, ſive concomitans actionem voluntatis, adeoque non tollit potentiam, etiam proximam, ad actionem oppoſitam in ſenſu diviſo, magìs quàm ipſa determinatio ſeu actio voluntatis.

Quæ ſit actio libera.

Accedit, quòd actio libera dicitur, quæ ita egreditur à potentia, ut poſſit non egredi; non verò quæ ita egreditur, ut aliquando oppoſita actio egrediatur: ſiquidem voluntas, quâ Deus voluit abſolutè talem hominem ſalvare, libera eſt, quamvis potentia ad oppoſitum numquam exeat in actum.

71. Objectio ſolvitur.

Si dixeris; exit in actum reſpectu alterius hominis. Reſpondeo, etiam potentia mea exit in actum reſpectu alterius gratiæ.

Inſtantia.

Si inſtes; nemo rectè loquitur: *Voluntas poteſt amare bonum quà tale, vel illud odiſſe*; quia voluntas bonum quà bonum, ſecundùm communem ſententiam, numquam odit: ergo ſimiliter ſi voluntas numquam diſſentit eidem gratiæ, cui jam aſſentit, non rectè dicitur: *Voluntas poteſt vocationi Dei internæ conſentire, vel ab ea diſſentire.*

Reſponſio.

Reſpondeo diſparitatem eſſe, quòd ſecundùm illam ſententiam voluntas non ſolùm non odit bonum quà tale, ſed neque odiſſe poteſt, quia extra objectum adæquatum odii; actus autem malus, ſive diſſenſus non eſt extra objectum voluntatis, quamvis hìc & nunc cum gratia efficaci numquam voluntas illum eliciat; antecedenter enim ad illam ſæpè elicit, & conſequenter poteſt elicere, quamvis illa potentia, ſtante illâ gratiâ quà tali, numquam exeat in actum.

72. Alia inſtantia.

Urges: ergo fruſtra addidit Concilium Trident. can. 4. illam particulam, *Si velit*, cùm ad illam potentiam non ſit neceſſarius aliquis actus.

Solvitur.

Reſpondeo; illam particulam non fuiſſe neceſſariam, ut patet ex cap. 5. ubi non additur, ſed ſimpliciter dicitur: *Ita ut tangente Deo cor hominis per Spiritûs ſancti illuminationem, neque homo ipſe nihil omnino agat, inſpirationem illam recipiens, quippe qui illam & abiicere poteſt.* Addidit autem, *Si velit*, in canone correſpondente illi capiti, ut magìs ſignificaret indifferentiam ad utrumque, & quia requiritur actus ut diſſentiat gratiæ ſufficienti tantùm.

73. Hominem aliquando diſſentire gratiæ ſufficienti probatur auctoritate D. Aug.

Aliquando autem hominem diſſentire gratiæ ſufficienti, non poſſum dubitare; præſertim cùm Innoc. X. Bullâ: *Cùm ex occaſione*, & Alex. VII. Bullâ: *Ad ſacram B. Petri Sedem*: hanc propoſitionem: *Interiori gratiæ in ſtatu naturæ lapſæ numquam reſiſtitur*, hæreticam declaraverint, & ut talem damnaverint. *Deus miſericors*, inquit S. Auguſtinus lib. de Catec. rud. c. 26. *volens homines liberare, ſi ſibiipſis non ſint inimici, & non reſiſtant miſericordiæ Creatoris ſui, miſit Unigenitum filium ſuum ..... ut quemadmodum per unum hominem, qui primus factus eſt, id eſt, Adam, mors intravit in genus humanum ...... ſic per unum hominem, qui etiam Deus eſt Dei filius, Ieſum Chriſtum, deletis omnibus peccatis præteritis, credentes in eum omnes in vitam æternam ingrederentur.*

D. Ambroſii.

Hinc S. Ambroſius in Pſalm. 118. v. 64. *Si quis non credit in Chriſtum, generali beneficio ipſe ſe fraudat, ut ſi quis clauſis feneſtris radios ſolis excludat, non ideo ſol non ortus eſt omnibus, quia calore eius ſe ipſe fraudavit. Sed quod ſolis eſt, prærogativam ſuam ſervat: quod imprudentis eſt, communis à ſe gratiam lucis excludit.*

74. D. Anſelmi.

Citatur etiam inſigne teſtimonium D. Anſelmi in cap. 6. Matth. ad illa verba: *Fiat voluntas tua* (verè an falsò, relinquo aliis examinandum, nam illud invenire non potui in libro, quo ego utor) ſic autem ſonat: *Duæ ſunt voluntates in Deo: una miſericordiæ, quæ non eſt cogens, nec aliquid libero arbitrio aufert, quâ omnes homines vult ſalvos fieri; quod tamen in libera voluntate eorum poſitum eſt. Eſt & alia, quæ eſt de effectibus rerum, de qua dicitur:* Omnia quæcumque voluit fecit. *Huic nemo poteſt reſiſtere, de qua dicitur:* Voluntati ejus quis reſiſtet? *Hæc providentiæ concordat ſemper; alia verò non ſemper: ſi enim velit per miſericordiam de aliquo pravo, quòd ſit iuſtus, & conferat ei gratiam ſuam, & tamen ille per liberum arbitrium contradicat, nec gratiæ Dei conſentiat, hæc voluntas Dei non concordat providentiæ, quia quamvis per dulcedinem gratiam conferat, tamen ſcit non conſenſurum &c. Itaque homines reſiſtunt voluntati miſericordiæ, & non reſiſtunt voluntati iuſtitiæ.* Mox: *In terra multi contradicunt voluntati Dei, illi ſcilicet, quæ eſt ex miſericordia. Cùm enim vellet pravos etiam ſalvare, ſi vellent, tamen ipſi contradicunt operibus huic voluntati.*

75. & S. Proſperi.

Clariſſimè S. Proſper lib. 2. de Vocat. Gent. c. 26. *Gratia quidem Dei in omnibus iuſtificationibus principaliter præeminet, ſuadendo exhortationibus, movendo exemplis, terrendo periculis, incitando miraculis, dando intellectum, inſpirando conſilium, corq; ipſum illuminando, & fidei affectionibus imbuendo: ſed etiam voluntas hominis ſubiungitur ei, atque coniungitur, quæ ad hoc prædictis eſt excitata præſidiis, ut divino in ſe cooperetur operi, & incipiat exercere ad meritum, quod ſuperno ſemine concepit ad ſtudium, de ſua habens mutabilitate ſi deficit, de gratiæ opitulatione ſi proficit. Quæ opitulatio per innumeros modos ſive occultos, ſive manifeſtos omnibus adhibetur, & quòd à multis refutatur ipſorum eſt nequitiæ, quòd autem à*

*multis*

*multis ſuſcipitur, & gratia eſt divina* (ſcilicet efficacis) *& voluntatis humana.*

Quod aliis verbis dixerat cap. 25. in fine: *Deo*, inquit, *placuit, & hanc* (gratiam ſpecialem ſive efficacem) *multis tribuere, & illam* (gratiam generalem ſeu ſufficientem) *à nemine ſubmovere, ut ex utraque appareat non negatum univerſitati, quod collatum eſt portioni; ſed in aliis prævaluiſſe gratiam, in aliis reſiluiſſe naturam.*

76. Secundùm D. Auguſt. duo quædam ſunt velle & poſſe.

Quid dicam de S. Auguſtino, qui diverſis locis docet, quòd duo quædam ſint Velle & Poſſe? Sic enim inquit de Spirit. & lit. cap. 31. *Cùm duo quædam ſint Velle & Poſſe; unde nec qui vult, continuò poteſt, nec qui poteſt, continuò vult. Quia ſicut volumus aliquando quod non poſſumus, ſic etiam poſſumus aliquando quod nolumus.*

Et lib. de Grat. & lib. arbitr. cap. 17. ita ſcriptum reperies: *Qui ergo vult facere Dei mandatum, & non poteſt* (id eſt, non facit) *iam quidem habet voluntatem bonam, ſed adhuc parvam & invalidam, poterit autem* (id eſt, faciet) *cùm magnam habuerit & robuſtam.* Ne autem dubitares, à quo ſit illa voluntas abſque ſubſequente opere, poſt pauca adjungit: *Et quis iſtam* (bonam voluntatem) *etſi parvam dare cœperat, niſi ille qui præparat voluntatem, & cooperando perficit, quod operando incipit? Quoniam ipſe ut velimus operatur incipiens, qui volentibus cooperatur perficiens ...... Vt ergo velimus ſine nobis operatur* (ecce gratia præveniens) *cùm autem volumus, & ſic volumus ut faciamus, nobiſcum operatur* (en gratia adjuvans) *tamen ſine illo vel operante ut velimus, vel cooperante cùm volumus, ad bona pietatis opera nihil valemus.*

Idem docet in eodem lib. c. 15 ſub hac forma verborum: *Semper in nobis eſt voluntas libera, ſed non ſemper eſt bona ..... Gratia verò Dei ſemper eſt bona, & per hanc fit ut ſit homo bonæ voluntatis, qui prius fuit voluntatis malæ. Per hanc etiam fit, ut ipſa bona voluntas quæ iam eſſe cœpit, augeatur: & tam magna fiat, ut poſſit implere* (id eſt, impleat) *divina mandata quæ voluerit, cùm valde perfecteq;* (id eſt, efficaciter) *voluerit. Ad hoc enim valet quod ſcriptum eſt:* Si volueris conſervabis mandata, *ut homo qui voluerit, & non potuerit* (id eſt, non conſervaverit) *nondum ſe plenè* (id eſt, efficaciter) *velle cognoſcat, & oret ut habeat tantam voluntatem, quanta ſufficit ad implenda mandata* (id eſt, voluntatem efficacem) *Sic quippe adiuvatur ut faciat, quod iubetur; tunc enim utile eſt velle cùm poſſumus* (id eſt, cùm implemus mandata) *& tunc utile eſt poſſe* (implere mandata ſi volumus) *cùm volumus: nam quid prodeſt, ſi quod non poſſumus* (id eſt, ſi quod non facimus) *volumus, ut ſi quod poſſumus* (id eſt faceremus ſi vellemus) *nolumus?*

77. Concluditur ſecundùm D. Aug. dari gra-

Ergo ſecundùm D. Auguſtinum datur aliquibus talis gratia Dei, per quam fit ut ſint bonæ voluntatis, ut poſſint adimplere mandata divina, ſi velint, tametſi de facto non impleant, & illam vocamus gratiam ſufficientem; efficacem verò dicimus, per quam non ſolùm datur poſſibilitas proxima ad implendum mandata, ſed ipſe etiam actus ſive actualis adimpletio mandatorum.

tiam merè ſufficientem.

Profectò *non eſt conſequens* (inquit Auguſtinus de Grat. Chriſti l. 1. c. 14. in fine) *ut qui poteſt venire, etiam veniat, niſi id voluerit atque fecerit. Sed omnis qui didicit à Patre, non ſolùm poteſt venire, ſed venit, ubi iam & poſſibilitatis profectus, & voluntatis affectus, & actionis effectus eſt.*

Et verò illud *poſſe venire*, quod fatetur Eccleſia Catholica, à quo putas datur hominibus niſi à Deo? Audi S. Auguſtinum lib. 1. de Grat. Chriſti c. 25 *Non ſolùm Deus poſſe noſtrum donavit atque adiuvat, ſed etiam velle & operari operatur in nobis.*

78. Objectio.

Dices: etiam Pelagius admiſit illud *poſſe*, teſte Auguſt. ſuprà c. 14. ibi: *Venire poſſe in natura ponit Pelagius, vel etiam, ut modò dicere cœpit, in gratia, qualemlibet eam ſentiat, quâ ipſa, ut dicit, poſſibilitas adiuvatur.*

Reſponſio.

Reſpondeo, ſi Pelagius admiſit veram internam gratiam poſſibilitatis (quod non, ut patet ex illis verbis: *Qualemlibet eam ſentiat*) minimè propterea damnatum fuiſſe ab Eccleſia Catholica; ſed quia præter illam noluit admittere gratiam efficacem, quâ Deus operatur in nobis velle & operari; dicebat enim, ut ſuprà refert Auguſtinus: *Venire autem iam in voluntate & opere eſt*; id eſt, poſitâ gratiâ poſſibilitatis, adimplere divina mandata jam in ſolis viribus voluntatis eſt.

79. Referuntur quædam verba ex Epiſt. Hilarii ad S. Aug.

Hinc quando Hilarius in Epiſt. ad Auguſtinum inter errores Maſſilienſium refert, quòd intelligerent illa verba Apoſtoli: *Omnes homines vult ſalvos fieri*, de omnibus omnino hominibus, & non de ſolis prædeſtinatis, ibi: *Indè eſt quod & illud pariter non accipiunt, ut eligendorum reiiciendorumq; eſſe definitum numerum velint: atque illius ſententiæ expoſitionem non eam, quæ à te eſt deprompta, ſuſcipiunt; id eſt, ut non niſi omnes homines ſalvos fieri velit, & non eos tantùm qui ad Sanctorum numerum pertinebunt, ſed omnes omnino, ut nullus habeatur exceptus. Nec hoc timendum, quòd quidam eo invito perire dicantur: ſed quomodo, aiunt, non vult à quoquam peccari, vel deſeri iuſtitiam, & tamen iugiter illa deſeritur contra eius voluntatem, committunturq; peccata, ita eum ſalvari velle omnes homines, nec tamen omnes homines ſalvari.*

& exponuntur.

Hæc, inquam, ita intelligenda ſunt, ut non ideo præcisè erraverint Maſſilienſes, quòd dixerint, Deum velle omnes omnino homines ſalvos fieri, & non tantùm definitum numerum prædeſtinatorum, niſi & ipſum Proſperum velis inter Maſſilienſes numerare, qui idipſum docuit, ut conſtat ex ejus apertiſſimis verbis ſuprà relatis ex ſententia 8. ad cap Gallorum; ſed quia negaverint certum numerum prædeſtinatorum,

in quibus Deus per ſpecialia auxilia gratiæ, id eſt, per gratiam efficacem implet ſuæ voluntatis propoſitum.

80. Quam gratiam negaverunt Pelagius & Maſſilienſes.

Hanc gratiam negavit ſemper Pelagius, negarunt Maſſilienſes; de hac gratia loquitur D. Auguſtinus lib. de Spir. & lit. cap. 34. (ut revertamur ad primum locum, occaſione cujus diffuſiùs diſputavimus de gratia Dei) quando in fine dicit: *Iam ſi ad illam profunditatem ſcrutandam quiſquam nos coarctet: cur illi ita ſuadeatur, ut perſuadeatur, illi autem non ita: duo ſola occurrunt interim quæ reſpondere mihi placeat*; O altitudo divitiarum! *&*: Numquid iniquitas apud Deum? *cui reſponſio iſta diſplicet, quærat doctiores, ſed caveat, ne inveniat præſumptores.* Cùm enim Deus, ſi vellet, poſſet ita ſuadere omnibus, ut perſuaderet, etiam ſalvâ uniuſcujuſque libertate, non perperàm Apoſtolus, & cum illo Auguſtinus, erupit in has admirantis voces: *O altitudo* &c.

*Rom. 11. v. 3. Rom. 9. v. 14.*

81. Pelagiani & Maſſilienſes adſcribunt divinæ bonitati indifferentiam gratiarum erga omnes homines, etiam ipſos parvulos. *S. Proſper.*

Et quidem ſi feciſſent idipſum Pelagiani, & Maſſilienſes, non tam turpiter ab Eccleſia Catholica defeciſſent, præſumptores effecti, & non doctiores, adſcribentes divinæ bonitati indifferentiam gratiarum erga omnes homines, etiam ipſos parvulos; diſcretionem autem prædeſtinatorum, & reproborum, ſolis viribus voluntatis humanæ, adeò ut cum Pelagianis, teſte Proſpero in Epiſt ad Auguſtinum, objiceretur innumerabilis multitudo parvulorum, *ex quibus alij per regenerationem inter cæleſtis regni aſſumantur hæredes, alij ſine Baptiſmo inter mortus perpetuæ tranſeant debitores*, auſi fuerint dicere; *tales perdi, taleſq́, ſalvari, quales futuros illos in annis maioribus, ſi ad activam ſervarentur ætatem, ſcientia divina prævіderit.*

*S. Auguſt.*

Auguſtinus ipſe Epiſt. 105. ſic exponit illam opinionem Pelagianorum: *Deus, inquiunt, in eis* (parvulis) *quos hinc aufert, prævidet quemadmodum victurus eſſet quiſque, ſi viveret, & ideo quem nequiter novit fuiſſe victurum, ſine Baptiſmo facit & mori; ſic in eo puniens opera mala, non quæ fecit, ſed quæ facturus fuit.* Mox: *Propterea non baptizantur, quia mali futuri erant, ſi viverent.*

82. In quo falluntur, teſte S. Fulgentio.

Hinc S. Fulgentius lib. de Incarnat. & Grat. c. 29. cui titulus eſt: *Quod falluntur qui exiſtimant divinam voluntatem æqualiter ſe habere erga ſalvandos & damnandos. Illud*, inquit, *Apoſtolicum ubi dicitur de Deo*: Qui vult omnes homines ſalvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire: *non ſicut oportet intelligunt, qui hanc Dei voluntatem, ſicut in vaſis miſericordiæ, ſic & in vaſis iræ accipiendam exiſtimant.*

Ab hoc errore longè abſunt Recentiores, qui admittunt gratiam internam ſufficientem.

Catholica profectò doctrina, à qua Recentiores, qui admittunt gratiam internam ſufficientem, ne ad latum unguem ullo tempore receſſerunt; nam in vaſis miſericordiæ agnoſcunt gratiam efficacem, quæ infallibiliter operatur eorum ſalutem, ſive agnoſcunt voluntatem conſequentem, quâ Deus abſolutè omnibus conſideratis vult ipſos ſalvos fieri; in vaſis autem iræ voluntatem tantùm antecedentem, quâ quantùm eſt in ſe, & conditionatè ſolùm vult ipſos ſalvos fieri, & ideo dat ipſis gratiam ſufficientem, quam tamen prævidet ex diverſis cauſis non habituram ſuum effectum, quem alioquin poſſet habere, ſi reliqua concurrerent.

83. Cur potiùs Deus huic, quàm illi det gratiam efficacem, eſt pro nobis inſcrutabile.

Cur autem noluerit aliquibus dare talem gratiam, quæ non ſolùm ſuaderet, ſed etiam perſuaderet, ipſe novit cujus ſunt inſcrutabilia judicia. *Cur iſtum potiùs*, inquit D. Auguſtinus lib. de Prædeſt. SS. cap. 8. *quam illum diſcernat*, inſcrutabilia ſunt judicia ejus, & inveſtigabiles viæ ejus: *Melius enim & hic audimus aut dicimus*: O homo tu quis es, qui reſpondeas Deo; *quam dicere audeamus quaſi noverimus, quod occultum eſſe voluit, qui tamen aliquid iniuſtum velle non potuit.*

*S. Aug. Rom. 11. v. 33. Rom. 9. v. 20.*

Scient autem Sancti. *D. Aug.*

Verumtamen *remanentibus Angelis* (utor verbis ejuſdem Sancti Doctoris Enchi. 94. & 95.) *& hominibus reprobis in æterna pœna, tunc Sancti ſcient plenius quid boni contulerit eis gratia.... Tunc non latebit, quod nunc latet, cùm de duobus parvulis unus eſſet aſſumendus per Dei miſericordiam, & alius per iudicium relinquendus ....... cur ille potiùs quàm iſte fuerit aſſumptus, cùm cauſa una eſſet ambobus. Cur apud quoſdam non factæ ſint virtutes, quæ ſi factæ fuiſſent, egiſſent illi homines Pœnitentiam & factæ ſint apud eos, qui non fuerant credituri ...... Nec utique Deus iniuſtè noluit ſalvos fieri cùm poſſent ſalvi eſſe, ſi vellent*, vel, ut alii legunt, *ſi vellet.*

84. Deus nulli injuſtè negat gratiam efficacem, cùm poſſet omnibus ſine injuſtitia negare, teſte Auguſtino.

Utrumque enim verum eſt; nam ſi Deus vellet omnibus dare gratiam efficacem, omnes ſalvi fierent. Neque ideo injuſtè aliquibus eam negat, cùm poſſet omnibus ſine injuſtitia negare, teſte Auguſtino lib. de Bono perſev. c. 8. *Non ſimus*, inquit, *ingrati, quòd ſecundùm placitum voluntatis ſuæ, in laudem gloriæ gratiæ ſuæ, tam multos liberat miſericors Deus de tam debita perditione; ut ſi indè neminem liberaret, non eſſet iniuſtus: ex uno quippe omnes in condemnationem non iniuſtam iudicati ſunt ire, ſed iuſtam. Qui ergo liberatur, gratiam diligat; qui non liberatur, debitum agnoſcat.*

Quomodo verum ſit, quòd reprobi poſſent ſalvi eſſe, ſi vellent.

Verum quoque eſt: *Poſſent ſalvi eſſe, ſi vellent*, id eſt, ſi cooperarentur gratiæ divinæ, quam de facto habent, vel cooperati fuiſſent illi gratiæ, quam aliquando in ſe, vel in alio habuerunt; ſed quia illam rejiciunt ſeu abjiciunt, vel aliquando abjecerunt, ideo juſtè Deus non vult eos ſalvos fieri.

*S. Aug.*

Nam ut ſcitè dixit S. Ambroſius lib. de Parad. c. 8. *Nec in eo læſus eſt vel Adam, quia mandatum accepit, vel Iudas, quia electus eſt. Non enim neceſſitatem Deus vel illi prævaricationis, vel*

huic

*huic proditionis impoſuit ; quia uterque ſi quod acceperat, cuſtodiſſet, à peccato abſtinere potuiſſet.* Ubi, ut vides, eamdem, aut certè ſimilem tribuit poſſibilitatem abſtinendi à peccato Judæ, & Adamo. Quis autem dubitat Adamum potuiſſe abſtinere à peccato, ſi voluiſſet?

85. Homo creatus eſt cum poſſibilitate frenandi delectationem ab illicito. S. Aug.

Conſonat D. Auguſtinus lib. 22. contra Fauſtum c. 28. ibi: *Vtrùm ſit aliqua rationalis creatura, quam nihil poſſit illicitum delectare, magna quæſtio eſt. Quòd ſi eſt, non in eo genere factus eſt homo: nec illa natura Angelica, quæ in veritate non ſtetit; ſed in eo genere iſta rationalia facta ſunt, ut ineſſet eis poſſibilitas frenandi delectationem ab illicito, quam non frenando peccaverunt. Magna eſt itaq; & humana creatura, quandoquidem per eam poſſibilitatem inſtauratur, per quam, ſi voluiſſet, nec cecidiſſet.*

& per eam inſtauratur.

A damnatione nemo liberatur niſi per fidem Chriſti. S. Auguſt.

Accedat, quod legitur lib. de Corrept. & Grat. c. 7. *Si enim, ſicut Veritas loquitur, nemo liberatur à damnatione, quæ facta eſt per Adam, niſi per fidem Ieſu Chriſti; & tamen ab hac damnatione non ſe liberabunt, qui poterunt dicere, non ſe audiviſſe Euangelium Chriſti; cùm fides ex auditu ſit, quantò minùs ſe liberabunt, qui dicturi ſunt, perſeverantiam non accepimus. Iuſtior enim videtur excuſatio dicentium, non accepimus audientiam, quàm dicentium, non accepimus perſeverantiam, quoniam poteſt dici, homo in eo quod audieras & tenueras, in eo perſeverares, ſi velles: nullo modo autem dici poteſt, id quod non audieras crederes, ſi velles. Ac per hoc, & qui Euangelium non audierunt, & qui eo audito in melius commutati perſeverantiam non acceperunt; & qui Euangelio audito venire ad Chriſtum, hoc eſt, in eum credere noluerunt (quoniam ipſe dixit:* Nemo venit ad me, niſi ei datum fuerit à Patre meo*) & qui per ætatem parvulam nec credere potuerunt, ſed ab originali noxa ſolo poſſent lavacro regenerationis abſolvi, quo tamen non accepto mortui perierunt; non ſunt ab illa conſperſione diſcreti, quam conſtat eſſe damnatam, euntibus omnibus ex uno in condemnationem.*

Ioan. 6.

Poteſt ergo dici ſecundùm Auguſtinum: *Homo in eo quod audieras & tenueras, in eo perſeverares ſi velles*, & per conſequens ſalvus fieres, ſi velles.

86. Objectio ex verbis S. Auguſt.

Planè, reponit aliquis; ſed numquid etiam ſalvus fieret, ſi vellet, qui Euangelium non audivit? *Nullo modo* (inquit Auguſt.) *dici poteſt, id quod non audieras, crederes, ſi velles:* ergo nullo modo dici poteſt, ſalvus fieres, ſi velles; cùm ſine fide impoſſibile ſit ſalvari. Ergo cùm Auguſtinus ſuprà Enchi. c. 95. loquatur etiam de iis, qui Euangelium non audierunt, minùs rectè diceret, *cùm poſſent ſalvi eſſe ſi vellent.*

Reſponſio ex aliis verbis S. Aug.

Reſpondeo verbis Sancti Auguſtini ex tract. 53. in Joannem: *Qui ergo ignorans Dei iuſtitiam, quâ iuſtificatur impius, ſuam vult conſtituere, quâ convincatur ſuperbus, in hunc non poteſt credere; hinc & illi non poterant credere, non quia mutari in melius homines non poſſunt, ſed quamdiu talia ſapiunt, non poſſunt credere. Hinc excæcantur, & indurantur, quia negando divinum adiutorium, non adiuvantur. Hoc de Iudæis, qui excæcati & indurati ſunt, Deus præſcivit, atque in eius ſpiritu Propheta prædixit.*

Quamdiu, inquam, talia ſapiunt, non poſſunt credere. Quamdiu non audiunt, nullo modo dici poteſt, crederent, ſi vellent; ſed quoniam audirent, ſi vellent, id eſt, ſi non reſiſterent, vel aliquando reſtitiſſent gratiæ divinæ, hinc aliquo modo dici poteſt, crederent, ſi vellent, & per conſequens poſſent ſalvi eſſe, ſi vellent. Cui reſponſio iſta diſplicet, quærat doctiores, ſed caveat ne inveniat præſumptores.

87. Voluntas hominis lapſi non diſcernit ſeipſam à maſſa perditionis, ſed prædeſtinatio gratiæ S. Auguſt.

Sed numquid ex his bene infertur: ergo voluntas hominis lapſi ſeipſam diſcernit à maſſa perditionis, & non prædeſtinatio gratiæ? Profectò contrarium innumeris pene locis tradit Divus Auguſtinus, fideliſſimus gratiæ Aſſertor. Unum ſubſcribo ex lib. de Bono perſev. cap. 14. *Hæc*, inquit, *prædeſtinatio Sanctorum nihil aliud eſt, quàm præſcientia* (id eſt, ſcientia viſionis) *& præparatio beneficiorum Dei, quibus certiſſimè liberantur, quicumque liberantur. Cæteri autem ubi, niſi in maſſa perditionis, iuſto Dei iudicio relinquuntur? Vbi Tyrij relicti ſunt, & Sidonij, qui etiam credere potuerunt* (id eſt, crediddiſſent) *ſi mira illa ſigna Chriſti vidiſſent. Sed quoniam ut crederent non erat eis datum, etiam unde crederent eſt negatum. Ex quo apparet habere quoſdam in ipſo ingenio divinum naturaliter munus intelligentiæ, quo moveantur ad fidem, ſi congrua ſuis mentibus vel audiant verba, vel ſigna conſpiciant, & tamen ſi Dei altiore iudicio à perditionis maſſa non ſunt gratiæ prædeſtinatione diſcreti, nec ipſa eis adhibentur vel dicta divina, vel facta, per quæ poſſent credere* (id eſt, crederent) *ſi audirent utique talia, vel viderent.*

Quid ſit prædeſtinatio.

Tyrii & Sidonii in maſſa perditionis relicti.

88. Uti etiam Judæi.

*In eadem perditionis maſſa relicti ſunt etiam Iudæi, qui non potuerunt* (id eſt, noluerunt) *credere factis in conſpectu ſuo tam magnis clariſq; virtutibus. Cur enim non poterant* (id eſt, nolebant) *credere, non tacuit Euangelium dicens:* Cùm autem tanta ſigna feciſſet coram eis, non crediderunt in eum, ut ſermo Iſaiæ Prophetæ impleretur quem dixit: Domine quis credidit auditui noſtro & brachium Domini cui revelatum eſt? Et ideo non poterant credere, quia iterum dixit Iſaias: Excæcavit oculos eorum & induravit cor illorum, ut non videant oculis, nec intelligant corde, & convertantur, & ſanem illos.

Ioan. 12. v. 37 & ſeq.

Iſa. 53. v. 1.

Iſa. 6. v. 10.

*Non erant ergo ſic excæcati oculi, nec ſic induratum cor Tyriorum & Sidoniorum, quoniam crediddiſſent, ſi qualia viderunt iſti ſigna vidiſſent, ſed nec illis profuit, quòd poterant credere* (id eſt, crediddiſſent) *quia prædeſtinati non erant ab eo, cuius inſcrutabilia ſunt iudicia, & inveſtigabiles viæ; nec iſtis obfuiſſet, quòd non poterant credere* (id eſt, nolebant credere) *ſi ita prædeſtinati eſſent, ut eos cæcos Deus illuminaret, & induratis cor lapideum*

Cor Tyriorum & Sidoniorum non erat ſicut Judæorum excæcatum & induratum.

*vellet auferre.* Ecce non in voluntatem hominis, ſed in voluntatem Dei, & gratiæ beneficium S. Doctor refundit diſcretionem à maſſa perditionis.

89. Objectio ex D. Aug. Sed dicet aliquis; quomodo hæc doctrina non contrariatur illi, quam habet lib. 12. de Civit. cap. 6. ibi: *Si enim aliqui duo æqualiter affecti animo & corpore, videant unus corporis pulchritudinem, quâ viſâ unus eorum ad illicitè fruendum moveatur, alter in voluntate pudica ſtabilis perſeveret, quid putamus eſſe cauſæ, ut in illo fiat, in illo non fiat voluntas mala, quam illa res fecit in qua* (aliàs in quo) *facta eſt? Neque enim pulchritudo illa corporis, nam eam non fecit in ambobus, quandoquidem amborum non diſpariliter occurrit aſpectibus. An caro intuentis in cauſa eſt? Cur non & illius? An verò animus? Cur non utriuſque? Ambos enim & animo, & corpore æqualiter affectos fuiſſe prædiximus. An dicendum eſt, alterum eorum occultâ maligni ſpiritûs ſuggeſtione tentatum, quaſi non eidem ſuggeſtioni, & qualicumque ſuaſioni propriâ voluntate conſenſerit? Hanc igitur conſenſionem, hanc malam, quam malè ſuadenti adhibuit voluntatem, quæ in eo res fecerit quærimus. Nam ut hoc quoque impedimentum ab iſta quæſtione tollatur, ſi eâdem tentatione ambo tententur, & unus ei cedat atque conſentiat, alter idem qui fuerat perſeveret; quid aliud apparet, niſi unum voluiſſe, alterum noluiſſe à caſtitate deficere?*

Supponit igitur Auguſtinus, potuiſſe cadere illum, qui ſtetit, ſed noluiſſe; & ſtare potuiſſe eum, qui cecidit, ſed cadere maluiſſe. Ergo diſcretio à maſſa perditionis per propriam voluntatem, & non per gratiæ prædeſtinationem, cùm uterque ſupponatur habuiſſe æqualem gratiam, id eſt, ambos æqualiter fuiſſe affectos animo, & corpore.

90. Reſponſio. Reſpondeo neg. Conſeq. Nam, præterquam quòd Auguſtinus minimè aſſerat de facto poſt peccatum ſic fieri, ſed ſolùm, ſi id fieret: *Si aliqui duo*, inquit, *æqualiter affecti animo & corpore* &c. hoc, inquam, prætermiſſo, quod tamen ſufficere poſſet ad ſolutionem argumenti, dico ampliùs, æqualem affectionem animi & corporis intelligi poſſe de affectione ex parte actûs primi, ſive ex parte gratiæ ſufficientis ſeu gratiæ poſſibilitatis; non autem debere intelligi ex parte gratiæ in actu ſecundo, ſive ex parte gratiæ determinantis ad liberam electionem.

Quæris autem à me, quomodo ergo nihil appareat, niſi unum voluiſſe, alterum noluiſſe à caſtitate deficere? Reſpondeo citiùs, quia efficacia ſive determinatio illa gratiæ non apparet, niſi ex volitione; non quòd aliud non ſit, ſed quòd Deus, quid illud ſit, voluerit nos latere. *Si tibi* (Petiliane Donatiſta) *proponam quæſtionem* (inquit Auguſtinus lib. 2. contra Petilianum cap. 84.) *quomodo Deus Pater attrahat ad filium homines, quos in libero dimiſit arbitrio, fortaſſe eam difficilè ſoluturus es. Quomodo enim attrahit ſi dimittit ut quis, quod voluerit, eligat. Et tamen utrumque verum eſt, ſed intellectu hoc penetrare pauci valent.*

S. Aug.

Interim ad pleniorem diſcuſſionem illorum verborum ex lib. 12. de Civit. cap. 6. adverto, Auguſtinum ibi inquirere: Quæ cauſa ſit beatitudinis Angelorum bonorum, & quæ cauſa ſit miſeriæ Angelorum malorum; cumque in principio cap. reſpondiſſet: *Proinde cauſa beatitudinis Angelorum bonorum ea veriſſimè reperitur, quòd ei adhærent, qui ſummè eſt. Cùm verò cauſa miſeriæ malorum Angelorum quæritur, ea meritò occurrit, quòd ab illo, qui ſummè eſt, averſi, ad ſeipſos converſi ſunt, quæ non ſummè ſunt*; poſtmodum inveſtigat, quæ fuerit cauſa efficiens iſtius malæ voluntatis dicens: *Huius porrò malæ voluntatis cauſa efficiens ſi quæratur, nihil invenitur.* 91. Plenius diſcutiuntur verba S. Auguſti. ex lib. 12. de Civit. c. 6.

Hinc poſt verba ſuperiùs relata in objectione, paucis interjectis, ſubjungit: *Propriam igitur in uno eorum voluntatem malam, quæ res fecerit ſcire volentibus, ſi bene intueantur, nihil occurrit. Si enim dixerimus, quòd ipſe eam fecerit, quid erat ipſe ante voluntatem malam, niſi natura bona, cuius auctor Deus, qui eſt incommutabile bonum? Qui ergo dicit eum qui conſenſit* &c.

Sequenti autem cap. ſic incipit dicere: *Nemo ergo quærat efficientem cauſam malæ voluntatis, non enim eſt efficiens, ſed deficiens, quia nec illa effectio eſt, ſed defectio; deficere namq; ab eo quod ſummè eſt, ad id quod minus eſt, hoc eſt incipere habere voluntatem malam.* 92. Non eſt efficiens cauſa malæ voluntatis Angelorum, ſed deficiens.

Simile eſt principium capitis noni: *Cùm ergo malæ voluntatis efficiens naturalis, vel, ſi dici poteſt, eſſentialis nulla ſit cauſa; ab ipſa quippe incipit ſpirituum mutabilium malum, quo minuitur atque depravatur naturæ bonum* &c.

Poſtquam autem ſufficienter inveſtigavit cauſam malæ voluntatis Angelorum, qui in veritate non ſteterunt, tandem hoc cap. 9. diſputat de cauſa bonæ voluntatis Angelorum, qui in veritate ſteterunt; nam titulus capitis eſt: *An ſancti Angeli, quem habent Creatorem naturæ, eumdem habeant bonæ voluntatis auctorem, per Spiritum ſanctum in eis charitate diffuſâ.* De qua quæſtione ſic diſcurrit. 93. Quæ ſit cauſa bonæ voluntatis Angelorum.

*Nam & hoc diſcutiendum eſt, ſi boni Angeli ipſi in ſe fecerunt voluntatem bonam, utrùm aliquâ eam, an nullâ voluntate fecerunt. Si nullâ, utique nec fecerunt. Si aliquâ, utrùm malâ, an bonâ. Si malâ, quomodo potuit eſſe mala voluntas bonæ voluntatis effectrix? Si bonâ, iam ergo habebant. Et iſtam quis fecerat niſi ille, qui eos cum bona voluntate, id eſt, cum amore caſto, quo illi adhærent, creavit, ſimul in eis & condens naturam & largiens gratiam? Vnde ſine bona voluntate, id eſt, Dei amore, numquam ſanctos Angelos fuiſſe credendum eſt.*

*eſt. Iſti autem qui cùm boni creati eſſent, tamen mali ſunt: malâ propriâ voluntate, quàm bona natura non fecit, niſi cùm à bono ſponte defecit, ut mali cauſa non ſit bonum, ſed defectus à bono: aut minorem acceperunt divini amoris gratiam, quàm illi, qui in eadem perſtiterunt, aut ſi utrique boni æqualiter creati ſunt, iſtis malâ voluntate cadentibus, illi ampliùs adiuti, ad eam beatitudinis plenitudinem, unde ſe numquam caſuros certiſſimi fierent, pervenerunt; ſicut iam etiam in libro, quem ſequitur iſte, tractavimus. Confitendum eſt igitur cum debita laude Creatoris, non ad ſolos ſanctos homines pertinere, verùm etiam de ſanctis Angelis dici poſſe: quòd charitas Dei diffuſa ſit in eis per Spiritum ſanctum qui datus eſt eis.*

Ergo S. Doctor bonam voluntatem ſanctorum, tam hominum, quàm Angelorum, non adſcribit ſoli voluntati, ſed magìs Spiritui ſancto, qui datus eſt eis, & per quem charitas Dei diffuſa eſt in eis; quamquam admittat utroſque Angelos bonos æqualiter creatos fuiſſe, utique æqualiter ex parte actûs primi, ſive gratiæ poſſibilitatis.

94. Tametsi admitteremus Angelos bonos ſtetiſſe per liberum arbitrium ſine efficaci gratia, S. Aug.

Et quamquam admitteremus cum aliquibus, Angelos bonos ſtetiſſe per liberum arbitrium, ſine efficaci adjutorio gratiæ actualis, juxta illud D. Auguſtini lib. de Corrept. & grat. c. 11. ibi: *Tunc ergo dederat homini Deus bonam voluntatem* (hoc eſt, volitionem) *in illa quippe eum fecerat, qui fecerat rectum, dederat & adiutorium* (gratiæ tum habitualis, tum actualis poſſibilitatis) *ſine quo in ea non poſſet permanere ſi vellet, ut autem vellet in eius libero reliquit arbitrio. Poſſet ergo permanere ſi vellet, quia non deerat adiutorium, per quod poſſet, & ſine quo non poſſet perſeveranter bonum tenere quod vellet. Sed quia noluit permanere, profectò eius culpa eſt, cuius meritum fuiſſet, ſi permanere voluiſſet; ſicut fecerunt Angeli ſancti, qui cadentibus aliis per liberum arbitrium, per liberum arbitrium ſteterunt ipſi, & huius manſionis debitam mercedem recipere meruerunt, tantam ſcilicet beatitudinis plenitudinem, quâ eis certiſſimum ſit ſemper ſe in illa eſſe manſuros.*

equidem de hominibus in ſtatu naturæ lapſæ id admitti non poſſet,

Ut, inquam, admitteremus (quod non) Angelos bonos ſtetiſſe per liberum arbitrium ſine efficaci adjutorio gratiæ actualis, id certè de hominibus in ſtatu naturæ lapſæ admitti non poteſt.

95. manifeſtè oſtenditur ex S. Aug.

Eleganter D. Auguſtinus lib. de Corrept. & grat. c. 12. Nec, inquit, *de ipſa perſeverantia boni voluit Deus Sanctos ſuos in viribus ſuis, ſed in ipſo gloriari: qui eis non ſolùm dat adiutorium quale primo homini dedit, ſine quo non poſſint perſeverare ſi velint; ſed in eis etiam operatur & velle, ut quoniam non perſeverabunt, niſi & poſſint & velint, perſeverandi eis poſſibilitas & voluntas* (id eſt, ipſa perſeverantia) *divinæ gratiæ largitate donetur. Tantùm quippe Spiritu ſancto accenditur voluntas eorum, ut ideo poſſint,* (id eſt, perſeverent) *quia ſic volunt; ideo ſic velint, quia Deus operatur ut velint: nam ſi in tanta infirmitate vitæ huius, in qua tamen infirmitate propter elationem reprimendam perfici virtutem oportebat, ipſis relinqueretur voluntas ſua, ut in adiutorio Dei ſine quo perſeverare non poſſent manerent ſi vellent, nec Deus in eis operaretur ut vellent: inter tot & tantas tentationes infirmitate ſuâ voluntas ipſa ſuccumberet, & ideo perſeverare non poſſent* (id eſt, non perſeverarent) *quia deficientes infirmitate nec vellent; aut non ita vellent infirmitate voluntatis ut poſſent,* id eſt, ut perſeverarent.

Quare Deus jam det aliud adjutorium perſeverantiæ, quàm primo homini.

*Subventum eſt igitur infirmitati voluntatis humanæ, ut divina gratia indeclinabiliter & inſuperabiliter ageretur; & ideo quamvis infirma, non tamen deficeret, neque adverſitate aliquâ vinceretur. Ita factum eſt ut voluntas hominis invalida & imbecilla, in bono adhuc parvo perſeveraret per virtutem Dei, cùm & voluntas primi hominis fortis & ſana, in bono ampliore non perſeveraverit, habens virtutem liberi arbitrii, quamvis non defuturo adiutorio Dei, ſine quo non poſſet perſeverare* (id eſt, non perſeveraret) *ſi vellet, non tamen tali quo in illo Deus operaretur ut vellet. Fortiſſimo quippe dimiſit atque permiſit facere quod vellet; infirmis ſervavit, ut ipſo donante invictiſſimè quod bonum eſt vellent, & hoc deſerere invictiſſimè nollent.*

Divinæ gratiæ potentia in imbecilla hominis voluntate inter tot adverſa gubernanda ac ſuſtentanda.

Quando ergo Auguſtinus lib. 12. de Civit. c. 6. ponit duos, animo & corpore æqualiter affectos, quorum unus velit, alter nolit à caſtitate deficere, vel loquitur de hominibus in ſtatu naturæ integræ, vel intelligi debet de æquali affectione in actu primo; nam certum eſt, Deum per ſpecialem inſtinctum Spiritûs ſancti in altero operari, ut velit; id eſt, certum eſt, voluntatem illam, ſive amorem caſtitatis procedere à gratia efficaci, quæ non conceditur à caſtitate deficienti, ſive jam dixeris gratiam ſufficientem eſſe eamdem eſſentialiter cum gratia efficaci, ſive diſtinctam, parùm curo; nam omnes admittere debent, ſaltem connotato diſtingui; adeoq́ue aliquam inter illas gratias eſſe inæqualitatem, ſive ex parte diſpoſitionis corporis, ſive animi operantis, ſive temporis, aut alterius extrinſecæ circumſtantiæ. 96.

Aug. lib. 12. de Civit. c 6. vel loquitur de hominibus in ſtatu naturæ integræ vel de æquali affectione tantùm in actu primo.

Quin immo exiſtimo, neque inter Angelos bonos, & malos, fuiſſe omnimodam æqualitatem gratiæ in actu ſecundo, de quo puncto nolo hìc fuſiùs diſputare, unicum tantùm propono argumentum amatoribus veritatis. D. Auguſt. lib. de Nat. & grat. c 18. in fine ait: *Quid ſtultius, quàm orare ut facias, quod in poteſtate habeas?* Et lib. 2. de Peccat. merit. c. 6. circa finem: *Quis*, inquit, *optat quod in poteſtate ſic habet, ut ad faciendum nullo indigeat adiumento?* Putas autem, quòd Angelus ſtultè egiſſet, ſi optaſſet ſeu oraſſet Deum ut perſeveraret? 97.

An Angeli boni & mali habuerint omnimodam æqualitatem gratiæ in actu ſecundo.

Noli hoc putare, niſi velis contradicere Gelaſio Pontifici, qui in dictis adversùs Pelagianam hæreſim tom. 2. Conc. apud Binium pag. 257. ita loquitur de primis noſtris 98.

*Gelaſius Pontif.*

parentibus, qui eamdem cum Angelis à Deo acceperant potentiam perſeverandi: *Æſtimant quidam in hac vita poſſe quemquam hâc perfectione conſiſtere, ut nullis prorſus fragilitatis humanæ pulſetur affectibus, nec corporeis exagitetur illecebris.*

**Primi parentes ceciderunt, quia Deum non oraverunt pro auxilio.**

*Quod quiſque ſi propriis viribus, ſuæ propoſito voluntatis exiſtimet adipiſci, ſemetipſum ſeducit, & veritas in eo non eſt. Nam ſi in ipſis primis hominibus; dum ſuâ nimiùm felicitate confidunt, & tantam* Dei *gratiam in vacuum recipientes, non orando, quod utique nuſquam feciſſe referuntur, nec de perceptis gratias referendo, nec ut eadem intemerata durarent ſimpliciter implorando, incolumes conſtare nequiverunt: quantò magis poſt prævaricationis ruinam, in quam malâ ſui confidentiâ,* Creatorem *nullatenus inquirendo, lethaliter inciderunt, abſque divino munere ſuis viribus vel ægri ſtare non poſſunt, ſine quo nec integri perſiſtere valuerunt?*

Et ibidem pag. 259 ſic ſcriptum habes: *Hinc illa primæ conditionis integritas, dum ita de ſe fidit, tamquam ipſo, qui condiderat, non egeret, nec de perceptis agit gratias, quod nuſquam feciſſe memoratur, nec de conſervandis, quæ ſumpſerat poſcit auxilium, nec ad eum pulſata tentatoris acceſſu devota concurrit, & conſulit, ſuæq; ſe credit inter proſpera voluntati, facilè ſine præſidio Creatoris patuit deceptoris inſidiis.*

**99. Proinde Eva non ſtultè egiſſet, ſi oraſſet Deum pro gratia efficaci.**

Adhuc dubitas an ſtultè egiſſet Eva, ſi pulſata tentatoris acceſſu, popoſciſſet auxilium Dei, & ad eum devota concurriſſet? Et quid opus erat poſcere auxilium & concurrere, ſi ut ſtaret, nullo ampliùs indigebat adjumento, ut volunt Adverſarii, ſed per ſolum liberum arbitrium, cum gratia, quam de facto habebat, poterat ſtare, & ſtetiſſet ſi voluiſſet? Numquid ut caderet, neceſſe erat, ut Deus ſubtraheret gratiam poſſibilitatis? Patet quod non.

Pro quo ergo debuiſſet orare, niſi pro gratia efficaci, per quam Deus operaretur non tantùm poſſe, quod vellet liberum arbitrium, ſed etiam velle, quod poſſet? Quæ autem primorum Parentum, eadem eſt ratio Angelorum, juxta beneplacitum Adverſariorum.

**100. Stetit Angelus per liberum arbitrium, ſed adjutum gratiâ ſpeciali.** *S. Fulgentius.*

Stetit ergo Angelus bonus per liberum arbitrium, ſed adjutum gratiâ ſpeciali, quam orando, & ad Deum concurrendo acceperat, non credens inter proſpera ſuæ voluntati, ſicut Angelus malus, qui propterea per liberum arbitrium cecidit.

*Profectò cognoſcitur* (utor verbis S. Fulgentii lib. 2. ad Traſ. c. 2) *uniformi cunctos* Angelos *opprimi potuiſſe ruinæ conſortio, niſi quos vellet à caſu pravitatis* (non ait, *liberum arbitrium*, ſed) *virtus illa defenderet, quæ ſola naturaliter mutari depravarivè non poſſet*, id eſt, virtus divina.

Utique *non alia* virtus *ſtantem Angelum*, necdum indignum ac male meritum, *à ruina potuit cuſtodire, niſi illa, quæ lapſum hominem*, jam indignum ac male meritum, *poſt ruinam potuit reparare. Vna eſt in utroque gratia operata, in hoc ut ſurgeret, in illo ne caderet: in illo ne vulneraretur, in iſto ut ſanaretur; ab hoc infirmitatem repulit, illum infirmari non ſivit.* Ita Fulgent. ibidem c. 3. Atque hæc ſatìs de gratia Dei pro hoc loco.

Revertor ad dictum Apoſtoli: *Qui omnes homines vult ſalvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire*, quod de omnibus hominibus, nemine excepto, intelligi poſſe, nemini poteſt eſſe dubium, qui credit intelligi poſſe de omnibus omnino hominibus hanc Scripturam, quæ eſt probatio præcedentis: *Vnus enim Deus, unus & mediator Dei & hominum, homo Chriſtus Ieſus, qui dedit redemptionem ſemetipſum pro omnibus* 1. Timoth. 2. v. 5. & 6. *Nullum excipiens*, inquit D. Anſelmus (vel quiſquis eſt auctor) in illa verba, *qui vellet redimi ad ſalvandum. In hoc enim patet quantum Deus homines diligat, & eos velit omnes ſalvos fieri, ſi perverſitas eorum non obſtiterit: quia mediator Deus, quem Deus inter ſe & homines poſuit, mortem pro omnibus ſuſtinuit, ut omnes à morte redimeret; & ideo qui non ſalvantur, non eſt quòd de Deo, vel de mediatore poßint conqueri; ſed de ſeipſis, qui nec redemptionem, quam mediator dedit, nec ſalutem, quam Deus obtulit, voluerunt accipere.*

**101. Chriſtus pro omnibus hominibus nemine excepto mortuus eſt.** *S. Auguſt.*

Adeò ut poſſimus dicere de homine reprobo, quod D. Anſelmus lib. de caſu Diaboli c. 4. dicit de Angelo reprobo: *Quamvis bonus Angelus ideo accepit perſeverantiam, quia Deus dedit; non ideo non accepit tamen malus Angelus, quia Deus non dedit; ſed Deus ideo non dedit, quia ille non accepit, & ideo non accepit, quia accipere noluit.*

**102. Hoc ſemipelagianum eſſe, damnatum Innoc. X & Alex. VII.**

Hinc illa propoſitio: *Semipelagianum eſt dicere Chriſtum pro omnibus omnino hominibus mortuum eſſe, aut ſanguinem fudiſſe*, meritò damnata eſt ab Innocentio X. Bullâ: *Cùm ex occaſione*, & Alexandro VII. Bulla: *Ad ſacram B. Petri Sedem*: ſub his verbis: *Quintam* (propoſitionem) *Semipelagianum eſt dicere, Chriſtum pro omnibus omnino hominibus mortuum eſſe, aut ſanguinem fudiſſe; falſam, temerariam, ſcandaloſam; & intellectam eo ſenſu, ut Chriſtus pro ſalute dumtaxat prædeſtinatorum mortuus ſit: impiam, blaſphemam, contumelioſam, divinæ pietati derogantem, & hæreticam declaramus, & utì talem damnamus.* Vide Lector, an eamdem cenſuram mereatur hæc propoſitio: *Semipelagianum eſt dicere, Chriſtum omnes omnino homines velle ſalvos fieri.*

Accedat propoſitio quarta, ab eodem Innoc. & Alexan. in eiſdem Bullis damnata hoc tenore verborum: *Quartam* (propoſitionem) *Semipelagiani admittebant prævenientis gratiæ interioris neceßitatem ad ſingulos actus, etiam ad initium fidei, & in hoc erant hæretici, quod vellent eam gratiam talem eſſe, cui poſſet humana voluntas reſiſtere, vel obtemperare: falſam & hæreti-*

*cam declaramus, & utì talem damnamus.* Numquid adhuc aliquis verè dicet; Auguſt. lib. de Spir. & lit. cap. 33. refert ſententiam primò Pelagianorum, & poſtea Maſſilienſium?

Si autem à me quæritur, cur ergo D. Auguſtinus intelligat dictum Apoſtoli: *Qui omnes homines vult ſalvos fieri &c.* de voluntate conſequente, & conſequenter de ſolis prædeſtinatis?

Reſp. quia ſcribit contra Semipelagianos,
103. Quare S. Aug. intelligat dictum Apoſt. de ſolis prædeſtinatis. qui, ut refert S. Proſper in Epiſt. ad Auguſtinum, contrarium putabant Patrum opinioni, & Eccleſiaſtico ſenſui, quidquid de vocatione electorum ſecundùm Dei propoſitum Auguſtinus diſputaverat. *Multi*, inquit, *ſervorum Chriſti, qui in Maſſilienſi urbe conſiſtunt in Sanctitatis tuæ* (intelligit D. Auguſt.) *ſcriptis, quæ adversùs Pelagianos hæreticos condidiſti, contrarium putant Patrum opinioni, & Eccleſiaſtico ſenſui, quidquid in eis de vocatione electorum ſecundùm Dei propoſitum diſputaſti.*

104. Quare paſſim inculcet gratiam efficacem. Cùm enim Semipelagiani paſſim jactarent, Deum non alio modo velle ſalutem electorum, quàm reproborum, S. Auguſt. paſſim inculcat efficacem illam & conſequentem voluntatem, quâ Deus prædeſtinatos certò ad ſalutem promovet. Quo in conflictu, cùm occurreret mentio Apoſtolicæ ſententiæ, quam ad ſuum dogma trahere hæretici conabantur, S. Auguſtinus, & diſcipuli ejus duo ſtatuerunt. Primum eſt, perperàm ex ea colligi, quod hæretici volebant; nimirum, hanc Dei voluntatem, ſicut in vaſis miſericordiæ, ſic & in vaſis iræ accipiendam. Secundum: eadem Apoſtoli verba poſſe explicari de voluntate efficaci, quâ divina prædeſtinatio continetur.

*Quiſquis* (inquiunt Epiſcopi Africani in Sardinia exules in Epiſtola Synodica) *prædeſtinatum Chriſtum, & Sanctos eius negat, Apoſtolicam fidem perverſus oppugnat. Omnes autem prædeſtinati ipſi ſunt, quos vult ſalvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire. Qui propterea omnes dicuntur, quia in utroque ſexu ex omni hominum genere, gradu, ætate, & conditione ſalvantur. Semper quippe voluntas Omnipotentis Dei impletur; quia poteſtas eius nullatenus vincitur, ipſe eſt enim qui omnia quæcumque voluit fecit in cælo, & in terra, in mari, & in omnibus abyſſis, & cuius voluntati nemo reſiſtit.*

105. Quare D. Aug. non attribuat efficaciam gratiæ divinæ voluntati humanæ. Hinc etiam factum eſt, ut D. Auguſtinus & diſcipuli ejus, efficaciam gratiæ divinæ non attribuant voluntati humanæ, quaſi ideo præcisè una gratia ſit efficax, alia non; quia una voluntas vult, alia non vult: ſed ubique recurrant ad altitudinem & inſcrutabilitatem judiciorum Dei, qui, ut ait D. Auguſt. lib. de Corrept. & grat. c. 14. *Magìs habet in poteſtate voluntates hominum, quàm ipſi ſuas.* S. Aug.

Cùm enim *homines* (inquit ibidem) *per correptionem in viam iuſtitiæ ſeu veniunt, ſeu revertuntur, quis operatur in cordibus eorum ſalutem, niſi ille, qui quolibet plantante, atque rigante, & quolibet in agris atque arbuſtulis operante, dat incrementum Deus, cui volenti ſalvum facere nullum hominis reſiſtit arbitrium? Sic enim velle, vel nolle, in volentis, aut nolentis eſt poteſtate, ut divinam voluntatem non impediat, nec ſuperet poteſtatem.*

Et continuò adjungit (quod bene notandum eſt) *De his enim qui faciunt, quæ non vult Deus fieri, facit ipſe quæ vult.* Ac ſi diceret: Qui contra voluntatem Dei faciunt, cùm ejus mandata non obſervant, non propterea divinam voluntatem impediunt, aut ſuperant poteſtatem, verùm ſeipſos fraudant magno bono, malisque pænalibus implicant, experturi in ſuppliciis poteſtatem ejus, cujus præcepta contempſerunt.

Cur autem unus mandata obſervet, alius contemnat, audiamus eumdem S. Doctorem lib. 1. ad Simpl. q. 2. *Si*, inquit, *propterea ſolum dictum eſt*: Non volentis, neque currentis, ſed miſerentis eſt Dei, *quia voluntas hominis ſola non ſufficit, ut iuſtè rectèque vivamus, niſi adiuvemur miſericordiâ Dei, poteſt & hoc modo dici*: Igitur non miſerentis eſt Dei, ſed volentis eſt hominis, *quia miſericordia Dei ſola non ſufficit, niſi conſenſus noſtræ voluntatis addatur. At illud manifeſtum eſt, fruſtra nos velle, niſi Deus miſereatur. Illud autem neſcio, quomodo dicatur fruſtra Deum miſereri, niſi nos velimus. Si enim Deus miſeretur, etiam volumus; ad eamdem quippe miſericordiam pertinet ut velimus.* Deus enim eſt qui operatur in nobis & velle, & operari pro bona voluntate. 106. Cur unus mandata Dei obſervet, & alius contemnat. Philip. 2. v. 13.

*Nam ſi quæramus, utrùm Dei donum ſit voluntas bona, mirum ſi negare quiſquam audeat: At enim quia non præcedit voluntas bona vocationem, ſed vocatio bonam voluntatem, propterea vocanti Deo rectè tribuitur, quod bene volumus, nobis verò tribui non poteſt, quod vocamur. Non igitur ideo dictum eſt putandum*: Non volentis neque currentis, ſed miſerentis eſt Dei, *quia niſi eius adiutorio non poſſumus adipiſci, quod volumus; ſed ideo potiùs, quia niſi eius vocatione non volumus.* Hæc ille.

Et actutum ſubjungit novam quæſtionem, dicens: *Si vocatio iſta ita eſt effectrix bonæ voluntatis, ut omnis eam vocatus ſequatur, quomodo verum erit*: Multi vocati, pauci electi? *Quod ſi verum eſt, & non conſequenter vocationi vocatus obtemperat, atque ut obtemperet in eius eſt poſitum voluntate, rectè etiam dici poteſt*: Igitur non miſerentis Dei, ſed volentis atque currentis eſt hominis: *quia miſericordia vocantis non ſufficit, niſi vocati obedientia conſequatur.* 107. Explicatur ex D. Aug. Script. Matth. 20. *Multi ſunt vocati &c.*

*An fortè illi, qui hoc modo vocati non conſentiunt, poſſent alio modo vocati accommodare fidei voluntatem, ut & illud verum ſit*: Multi vocati, pauci electi: *ut quamvis multi uno modo vocati ſint* (ſcilicet per illuſtrationem intellectûs, & accenſionem voluntatis) *tamen quia non*

*omnes*

*omnes uno modo affecti ſunt* ( id eſt , non omnes habent eandem propenſionem , ſeu naturalem, ſeu acquiſitam ) *illi ſoli ſequantur vocationem , qui ei capiendæ reperiuntur idonei , & illud non minùs verum ſit :* Igitur non volentis , neque currentis , ſed miſerentis eſt Dei , *qui hoc modo vocavit , quomodo aptum erat eis , qui ſecuti ſunt vocationem ? Ad alios autem vocatio quidem pervenit , ſed quia talis fuit , quâ moveri non poſſent* ( id eſt , quâ non moverentur ) *nec* ( aliàs , ut ) *eam capere apti eſſent* ( id eſt , caperent ) *vocati quidem dici potuerunt , ſed non electi ; & non iam ſimiliter verum eſt :* Igitur non miſerentis Dei, ſed volentis atque currentis eſt hominis , *quoniam non poteſt effectus miſericordiæ eſſe in hominis poteſtate , ut fruſtra ille miſereatur , ſi homo nolit, quia ſi vellet etiam ipſorum miſereri , poſſet ita vocare , quomodo illis aptum eſſet , ut & moverentur , & intelligerent , & ſequerentur.*

*Verum eſt ergo :* Multi vocati , pauci verò electi. *Illi enim electi , qui congruenter vocati. Illi autem qui non congruebant , neque contemperabantur vocationi , non electi , quia non ſecuti , quamvis vocati. Item verum eſt :* Non volentis , neque currentis , ſed miſerentis eſt Dei : *quia etiamſi multos* ( id eſt , omnes ) *vocet , eorum tamen miſeretur , quos ita vocat , quomodo eis vocari aptum eſt , ut ſequantur. Falſum eſt autem ſi quis dicat :* Igitur non miſerentis Dei, ſed volentis, atque currentis eſt hominis, *quia nullius Deus fruſtra miſeretur ; cuius autem miſeretur , ſic eum vocat , quomodo ſit ei congruere , ut vocantem non reſpuat.* Hactenus Auguſtinus.

108. D. Aug. loquitur de congruitate interioris gratiæ.

Porrò quòd loquatur de congruitate interioris gratiæ , patet manifeſtè ex c. 1. lib. 2. Retract. ubi agens de hac quæſtione , ſic inquit : *In cuius quæſtionis ſolutione laboratum eſt quidem pro libero arbitrio voluntatis humanæ, ſed vicit Dei gratia , nec niſi ad illud perveniri potuit , ut liquidiſſimâ veritate dixiſſe intelligatur Apoſtolus, Quis enim te diſcernit ? Quid autem habes quod non accepiſti ? Si autem accepiſti quid gloriaris quaſi non acceperis ?* Ergo egit in illa quæſtione de gratia diſcretiva , quæ eſt vocatio & gratia interna ; quoniam gratia victrix.

1. Cor. 4. v. 7.

Præterea Auguſt. in illa quæſtione plerumque utitur illâ voce , *vocatio* , & nunquam vel rariſſimè nomine *gratiæ* : ergo per vocationem intelligit gratiam ; aliàs malè diceret loco ſtatim citato , gratiam ibidem viciſſe liberum arbitrium. Vide totum contextum , & res apparebit clariſſima.

109. Probatur exemplo Apoſt.

*Reſtat* , inquit , *ut voluntates eligantur , ſed voluntas ipſa , niſi aliquid occurrerit , quod delectet, atque invitet animum , moveri nullo modo poteſt. Hoc autem ut occurrat , non eſt in hominis poteſtate.* Quod confirmat exemplo Apoſtoli inquiens : *Quid volebat Saulus , niſi ut invaderet , & traheret , vinciret , & necaret Chriſtianos ? Quàm rabida voluntas , quàm furioſa , quàm cæca , qui tamen unâ deſuper voce proſtratus , occurrente utique tali viſo , quo mens illa & voluntas refracta ſævitia retorqueretur & cogeretur ad fidem , repente ex Evangelii mirabili perſecutore , mirabilior prædicator effectus eſt.*

Ubi vocem externam , cum interno viſo delectante atque invitante animum , ponit cauſam converſionis Pauli , ut proinde per vocationem congruam , non ſolùm externam , ſed etiam gratiam internam , quæ conſiſtit in viſo illo , intelligat. Ergo ſimiliter per vocationem incongruam , intelligit gratiam internam , ſufficientem quidem , ſed tamen inefficacem. Alioquin non ſubſiſtunt illa verba : *Vt quamvis multi uno modo vocati ſint* &c. quoniam planè diverſus modus vocandi eſt ſolùm extrinſecè per legem , & doctrinam , à modo intrinſecè vocandi per internas inſpirationes , & delectationes.

Igitur ſecundùm mentem D. Auguſtini , verum eſt : *Multi ſunt vocati*, ſive extrinſecùs , per Evangelicas exhortationes , ſive intrinſecùs , ubi nemo habet in poteſtate , quid ei veniat in mentem : *Pauci verò electi* , quia paucos Deus alloquitur viſis congruis , & ideo pauci , in comparatione reproborum , ſequuntur Deum vocantem.

Interim *nulla* Dei *vocatio* ( ut loquitur Cenſura Lovanienſis aſſert. 4. ) *deluſoria eſt ; neque enim alia fit ullâ intentione ac fine , quàm ut convertatur quiſque , aut converti poßit . . . . . ac debeat , & ſi vocanti non obtemperet , inexcuſabilis habeatur.* 110. Nulla Dei vocatio deluſoria. Cenſura Lovanienſis.

Similiter loquitur Cenſura Duacen. aſſert. 4. *Vocationis* , inquit , *primus finis eſt hominis converſio etiamſi illa non ſequatur. Quòd enim quiſpiam vocatus non convertatur , propriæ eius malitiæ imputandum eſt ; quòd autem convertatur , vocantis bonitati & potentiæ adſcribendum eſt. Cùm ergo talia ad* Cain *loqueretur Deus* ( Gen. 4. ) *numquid ambiguum eſt voluiſſe eum , & ( quantum ad illum medendi modum ſufficiebat ) egiſſe , ut* Cain *ab illo impietatis furore reſipiſceret ? Sed malitia pertinax inde facta eſt inexcuſabilior , unde debuit eſſe correctior. Neque verò* Dei *intentio fruſtratur , ſi qui vocatur , non convertitur ; quia in hominum vocatione non ſolùm hominum converſionem abſolutè* Deus *intendit (ſemper enim tunc ſequeretur) ſed alios etiam fines , veluti ut declararetur humanæ vel infirmitatis , vel malitiæ magnitudo quanta ſit , cùm non ſequitur vocantem. Item ut excellentiam gratiæ ſuæ declaret , & neceßitatem , utpote ſine qua nemo credere vel* Pœnitentiam *agere poßit ; ut ita omne os obſtruatur , & ſubditus fiat omnis mundus* Deo *, nec quiſquam niſi in* Domino *glorietur.* Hucuſque Cenſura. Cenſura Duacenſis.

111. Concluſio, nos ignorare cur unum potiùs Deus congruè vocet, quàm alium.

Cùm ergo Deus poſſet omnes homines congruè vocare , ita quòd vocantem ſequerentur , cur unum potiùs congruè vocet , quàm alium , *me ignorare reſpondeo. Audio dicentem Apoſtolum* : O homo tu quis es qui reſpondeas Deo ? *&* : O altitudo divitiarum &c. *Quantùm*

*tum itaque indicia ſua nobis manifeſtare dignatur, gratias agamus; quantùm verò abſcondere, non adversùs eius conſilium murmuremus, ſed hoc quoque nobis ſaluberrimum eſſe credamus*, inquit Sanctus Auguſtinus lib. de Corrept. & grat. cap. 8.

Iſa. 9. v. 20. & 11. v. 9.

Hoc unicum dico: ſi nulla datur vocatio incongrua, ſufficiens ad converſionem, neſcio quare incongruè vocatus, præcisè quia hìc & nunc non obtemperat, inexcuſabilis habeatur; ignoro planè quomodo ex illa vocatione declaretur præſentis malitiæ magnitudo; fateor me non ſatìs intelligere, quid in hoc puncto inter illos homines diſtet & dæmones.

112. Diſtantia inter malos homines & dæmones ex S. Proſpero.

*Hoc*, inquit Sanctus Proſper reſp. ad object. 6. Vincent. *inter malos homines diſtat & dæmones, quòd hominibus etiam valde malis ſupereſt, ſi Deus miſereatur, reconciliatio: dæmonibus autem nulla eſt in æternum ſervata converſio.*

Prorſus nulla, ſtante præſenti decreto Dei. Sed numquid ſtante præſenti decreto Dei, quo in pœnam peccati originalis noluit mihi umquam dare gratiam congruam, aut incongruam ſufficientem; num, inquam, mihi aliqua eſt in æternum ſervata converſio? Numquid aliquando mei miſerebitur Deus?

Poſſet, inquis, miſereri; & ſi miſereatur, ſupereſt reconciliatio. Sed numquid etiam poſſet miſereri Angelorum? Audi Sanctum Auguſt. lib. de Gen. ad lit. cap. 10. *Sed poſſet, inquit, etiam ipſorum* (malorum Angelorum) *voluntatem in bonum convertere, quoniam omnipotens eſt. Poſſet planè. Cur ergo non fecit? Quia noluit. Cur noluerit, penes ipſum eſt.*

S. Aug.

113. Quæ accipienda ſit, demum de illis tantum hominibus, quorum Deus aliquando miſeretur.

Illa ergo diſtantia, quam ſuperiùs ponit Proſper inter malos homines & dæmones, non videtur accipienda de omnibus hominibus malis, diſtribuendo ly *Omnibus* pro ſingulis generum, ſed exponenda accommodatè pro illis, quorum Deus aliquando miſeretur, licèt hìc & nunc valde mali ſint, quaſi diceret: Hoc diſtat inter homines malos & dæmones, quòd aliqui homines etiam valde mali convertantur ad Deum, nullus autem dæmon.

S. Aug.

Teſtis eſt Divus Auguſtinus Enchi. c. 27. ibi: *Et ſi quidem in melius hominum reformationem nullam prorſus eſſe voluiſſet, ſicut impiorum nulla eſt Angelorum, nonne meritò fieret, ut natura quæ Deum deſeruit, quæ præceptum ſui Creatoris, quod cuſtodire facillimè poſſet, ſuâ malè utens poteſtate calcavit atque tranſgreſſa eſt* &c. *univerſa in æternum deſereretur ab eo, & pro ſuo merito pœnam penderet ſempiternam? Planè ita faceret ſi tantùm iuſtus, non etiam miſericors eſſet, ſuamq; indebitam miſericordiam multò evidentiùs in indignorum potiùs liberatione monſtraret.*

Et cap. 28. ſic ait: *Placuit itaque univerſitatis Creatori atque Moderatori Deo, ut quoniam non tota multitudo Angelorum Deum deſerendo perierat, ea quæ perierat in perpetua perditione remaneret. Quæ autem cum Deo illa deſerente perſtiterat, de ſua certiſſimè cognita ſemper futura felicitate ſecura gauderet. Alia verò creatura rationabilis, quæ in hominibus erat, quoniam peccatis atque ſuppliciis & originalibus & propriis tota perierat, ex eius parte reparata, quod Angelicæ ſocietati ruina illa diabolica minuerat, ſuppleret.*

Quæ ergo diſtantia inter homines reprobos, quos Deus abſolutè voluit deſerere in æternum, id eſt, quibus noluit in æternum dare gratiam efficacem converſionis, & dæmones? Profectò non alia, quàm quòd hujuſmodi hominibus non neget gratiam ſufficientem, cum qua poſſent converti ſi vellent; neget autem illam gratiam dæmonibus. Siquidem ſtante decreto reprobationis, tam impoſſibile eſt Deum miſereri hominum, quàm dæmonum. Illo autem ſublato, tam poſſibile eſt Deum miſereri dæmonum, quàm hominum. 114. Quæ ſit diſtantia inter homines reprobos & dæmones.

Fateor inſtituiſſe Chriſtum Sacramenta, quibus homines viatores, ſecùs dæmones, aut homines damnati, poſſent ſalvi fieri, ſi ipſis ea applicarentur: ſed parum vel nihil juvat inſtitutio, ſi applicatio ſecundùm præſens decretum Dei eſt omnino impoſſibilis. Imò conſequenter dicam, non inſtituiſſe ea magìs pro hujuſmodi reprobis, quàm pro dæmonibus; ſed pro illis ſolis, quibus aliquando Sacramenta applicarentur, ſicuti illos ſolos qui ſalvantur, vult ſalvos fieri ſecundùm Adverſarios: nemo enim eligit medium, niſi in ordine ad finem; ſi ergo Deus nullatenus intendit ſalutem hujuſmodi reproborum, etiam Sacramenta non ordinavit tamquam media ad illorum ſalutem, magìs quàm ad ſalutem dæmonum.

Quæ ergo diſtantia quoad hoc inter hujuſmodi reprobos in hac vita, & homines damnatos, ſuppoſito quòd nec illi habeant gratiam ſufficientem ad ſalutem? Reſp. quòd damnati certi ſint de ſua damnatione, alii autem incerti; quemadmodum D. Auguſtinus loquitur de Angelis lib. de Corrept. & grat. cap. 10. ibi: *Diabolus & Angeli eius, etſi beati erant antequam caderent, & ſe in miſeriam caſuros eſſe neſciebant, erat tamen adhuc quod eorum adderetur beatitudini, ſi per liberum arbitrium in veritate ſtetiſſent, donec iſtam ſummæ beatitudinis plenitudinem, tamquam præmium ipſius permanſionis acciperent, id eſt, ut magna per Spiritum S. data abundantia charitatis Dei, cadere omnino ulteriùs non poſſent, & hoc de ſe certiſſimè noſſent*, id eſt, 115. Quæ ſit diſtantia inter homines reprobos in hac vita, & homines jam damnatos. S. Auguſt.

Gg donec

donec certiſſimè ſcirent ſe numquam eſſe caſuros, ſed ſemper in beatitudine eſſe manſuros.

Conſimiliter dico ego; homines iſti reprobi in hac vita, etſi quodammodo damnati ſint, tametſi ipſis nulla ſit in æternum ſervata converſio; eſt tamen adhuc quod eorum addatur damnationi poſt hanc vitam, ſcilicet certiſſima ſcientia ſuæ æternæ damnationis, id eſt, certiſſima ſcientia impoſſibilitatis ſuæ ſalutis.

Non dico, *Impoſſibilitas ſalutis*, ſed, *Certiſſima ſcientia impoſſibilitatis*; quia impoſſibilitas antea inerat, ex hypotheſi, quòd reprobis nullo umquam tempore in ſe, vel in aliis pro ipſis, detur gratia proximè vel remotè ſufficiens ad ſalutem.

116.
**Per damnationem non tantùm accedit ſcientia impoſſibilitatis, ſed etiam ipſa impoſſibilitas æternæ ſalutis,**

Sed quoniam hæc hypotheſis videtur repugnare dicto Apoſtoli: *Qui omnes homines vult ſalvos fieri*, dicimus, per damnationem poſt hanc vitam, non tantùm accedere ſcientiam impoſſibilitatis, ſed ipſam quoque impoſſibilitatem, ut damnati poſt hanc vitam omnino ulteriùs reſurgere non poſſint, & hoc de ſe certiſſimè ſciant. Quamdiu autem in hac vita tenentur, vel poſſunt, vel aliquando potuerunt reſurgere.

Alioquin meliùs ipſis foret, ſi ſtatim ex hac vita decederent, antequam per peccata actualia demereantur; ſic enim mitiorem pœnam, imò mitiſſimam ſentirent, juxta illud D. Auguſt. Enchi. c. 93. *Mitiſſima ſanè omnium pœna erit eorum, qui præter peccatum, quod origine traxerunt, nullum inſuper addiderunt*, cùm jam longè graviorem ſentiant, propter peccata actualia, ad quæ evitanda numquam habuerunt gratiam, vel remotè ſufficientem, niſi in Adamo.

117.
**An peccatum Adami tantæ fuerit gravitatis, ut propter illud hominibus ſubtrahatur gratia ſufficiens?**

Porrò peccatum Adami tantæ fuiſſe gravitatis præ peccato Angelorum, ut propter illud hominibus, qui in ipſo tantùm peccaverunt, ſubtrahatur omnis gratia ſufficiens ad evitanda peccata actualia, quibus demereantur, & augeant pœnam debitam peccato originali, cùm Angeli per ſua peccata ampliùs non demereantur, nec augeant pœnam debitam primo actuali peccato, non facilè crediderim.

Et ſi qui ſint, qui illud credant, legant attentè primam propoſitionem damnatam ab Innocentio X. Bullâ: *Cùm ex occaſione*, & Alexandro VII. Bullâ: *Ad ſacram B Petri ſedem*: eſt autem propoſitio ſequentis tenoris: *Aliqua Dei præcepta hominibus iuſtis, volentibus & conantibus ſecundùm præſentes, quas habent vires, ſunt impoſſibilia, deeſt quoque illis gratia, quâ poſſibilia fiant.* Hanc propoſitionem præfati Pontifices: *Temerariam, impiam, blaſphemam, anathemate damnatam, & hæreticam* declarant, & utì talem damnant.

Notent etiam, quicumque tales ſunt, propoſitionem tertiam in eiſdem Bullis damnatam hiſce verbis: *Tertiam* (propoſitionem) *Ad merendum & demerendum in ſtatu naturæ lapſæ, non requiritur in homine libertas à neceſſitate, ſed ſufficit libertas à coactione: hæreticam declaramus, & ut talem damnamus.*

Illi, inquam, viderint quid ad hæc reſpondeant, qui docent hominem non habere gratiam ſufficientem ad obſervanda illa mandata, quæ tamen non obſervando demeretur. Nos conſtanter aſſerimus, Deum nemini negare auxilium proximè, aut ſaltem remotè ſufficiens, ad ſalutem, adeoque nulli peccatori negare auxilium, ſaltem remotè ſufficiens, verè pœnitendi, quæ eſt ſecunda pars hujus Concluſionis. Invitat quippe omnes, nemine excepto, ad Pœnitentiam, imò præcipit omnibus Pœnitentiam, quam non ponendo demerentur: ergo nemini negat gratiam, quâ illa Pœnitentia fiat poſſibilis. 118.

**Deus nemini negat auxilium, ſaltem remotè ſufficiens ad ſalutem.**

Nam, ut docet Trident. ſeſſ. 6. cap. 11. *Deus impoſſibilia non iubet, ſed iubendo monet, & facere quod poſſis, & petere quod non poſſis, & adiuvat ut poſſis.* Quippe, teſte D. Auguſtino lib. de Nat. & Grat. cap. 69. *Eo ipſo quo firmiſſimè creditur, Deum iuſtum & bonum impoſſibilia non potuiſſe præcipere, hinc admonemur & in facilibus quid agamus, & in difficilibus quid petamus.* 119.

**Deus non præcipit impoſſibilia ex Conc. Trid. & variis locis S. Aug.**

Et lib. 2. de Peccat. merit. cap. 6. ſic inquit: *Dubitare non poſſum, nec Deum aliquid impoſſibile homini præcepiſſe, nec Deo ad opitulandum & adiuvandum quo fiat quod iubet, impoſſibile aliquid eſſe. Ac per hoc poteſt homo ſi velit, eſſe ſine peccato, adiutus à Deo.* Igitur *audiamus Dominum & præcipientem, & opitulantem: & iubentem quid facere debeamus, & adiuvantem ut implere poſſimus.* Ita Auguſtinus tract. 53. in Joan.

*Quis enim*, inquit idem lib. de Fide contra Manichæos cap. 10. *non clamet ſtultum eſſe præcepta dare ei, cui liberum non eſt quod præcipitur facere, & iniquum eſſe eum damnare, cui non fuit poteſtas iuſſa complere? Ne ergo dicatis* (ſcribit Enar. in Pſalm. 40.) *non poſſum tenere, & portare, & frenare carnem meam: adiuvaris ut poſſis.*

*Cur* namque *dictum eſt*: Diligamus invicem quia dilectio ex Deo eſt, *niſi* (auditis S. Auguſt. lib. de Grat. & lib. arbitr. cap. 18) *quia præceptio admonitum eſt liberum arbitrium, ut quæreret Dei donum? quòd quidem ſine ſuo fructu prorſus admoneretur, niſi priùs acciperet aliquid dilectionis, ut addi ſibi quæreret, unde quod iubebatur impleret.* 1. Ioan. 4. v. 7.

Ac proinde *conſultiſſimè homini* præcipitur, *ut rectis paſſibus ambulet*, non quòd culpâ ſuâ diſtortus ſit, ſed, *ut cum ſe non poſſe perſpexerit, medicinam requirat, quæ interioris hominis ad ſanandam peccati claudicationem gratia Dei eſt per Ieſum Chriſtum Dominum noſtrum.* Hæc Auguſt. lib. de Perfect. Juſtit. c. 3.

Itaque

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK PADERBORN

Itaque rectè præcipitur cuilibet peccatori
120. Rectè præcipitur cuilibet peccatori Pœnitentia, etiā maximè obdurato.
Pœnitentia, etiam excæcato & maximè obdurato, ut cùm ſe non poſſe pœnitere perſpexerit, id eſt, cùm ſe perſpexerit non pœnitere, nec facilè poſſe propter corruptionem naturæ, medicinam requirat, id eſt, gratiam pœnitendi poſtulet à Deo, qui dat omnibus affluenter; utique his omnibus qui ſic petunt, & tantum petunt, quomodo & quantum res tanta petenda eſt.

Quamvis ergo Deus non det omnibus gratiam efficacem pœnitendi, neque gratiam ſufficientem proximè, nemini tamen negat gratiam ſaltem remotè ſufficientem, id eſt, non ſubtrahit illam quantùm in ſe eſt poſitivè & ex intentione, ita ut aliis cauſis, ad effectum, id eſt, ad actum veræ Pœnitentiæ ponendum, ſatis diſpoſitis, nolit ex ſua parte concurrere ad poſitionem effectûs, id eſt, ad actum veræ Pœnitentiæ. Quin immo & erit

## CONCLUSIO III.

Deus dat omnibus peccatoribus gratiam, ſaltem remotè ſufficientem, quamvis non omni tempore, ſed ſolùm aliquando pro loco & tempore, ita ut, ſi homo peccator illâ bene uteretur, daret ulterius auxilium, uſque ad illud, quod proximè ſufficeret.

121. Deum non dare omnibus gratiam proximè ſufficientem, probatur exemplo hominis juſti.
QUòd Deus non det omnibus gratiam proximè ſufficientem, probatur ab aliquibus exemplo hominis juſti, qui cùm indigeat ſpeciali gratiæ auxilio tum ad eliciendos actus ſupernaturales, tum etiam ad perſeverandum diù in obſervatione legis naturalis; illud tamen auxilium ſæpè obtinere debet per orationem. *Nam*, ut ait Innoc. in Epiſt. ad Conc. Cartag. *tentationes à nobis vinci non poſſunt, niſi gratia Dei in nos implorata deſcendat.*
Innoc.

Cœleſtinus.
Quod etiam docet Cæleſtinus in Epiſt. ad quoſdam Galliarum Epiſcopos cap. 6. ibi: *Neminem, etiam Baptiſmatis gratiâ renovatum, idoneum eſſe ad ſuperandas diaboli inſidias, & ad evincendas carnis concupiſcentias niſi per quotidianum adiutorium Dei* (utique imploratum) *perſeverantiam bonæ converſationis acceperit.*

122. Præcipitur oratio tempore tentationis.
Et hinc præceptum orationis tempore tentationis. *Orate*, inquit Chriſtus ad diſcipulos Matth. 26. v. 41. *ut non intretis in tentationem.* Ad quid enim neceſſaria eſt oratio, ſi ſemper habetur auxilium proximè ſufficiens ad tentationes evincendas, & perſeverandum in juſtitia? Matth. 26.

Reſpondeo, ut vincat tentationes, & perſeveret in juſtitia; neque enim ſolùm orare oportet, ut poſſimus proximè vincere, & perſeverare, ſed multò ampliùs ut vincamus, & perſeveremus; quia, ut ait Sanctus Auguſtinus lib. de Grat. & lib. arbit. cap. 15. *Tunc utile eſt velle cùm poſſumus, & tunc utile eſt poſſe cùm volumus; nam quid prodeſt, ſi quod non poſſumus, volumus, aut ſi quod* proximè *poſſumus, nolumus?*
non ſolùm ut poſſimus proximè vincere tentationes, ſed etiam ut eas vincamus.
S. Aug.

Ut autem velimus, & faciamus, quod proximè facere poſſumus, Deus operatur in nobis per auxilium gratiæ efficacis, ad quod obtinendum ſæpè neceſſaria eſt oratio, quamvis ſubinde non orantibus detur, ut patet in Apoſtolo, qui de ſeipſo dicebat 1. Cor. 15. v. 9. & 10. *Ego enim ſum minimus Apoſtolorum, qui non ſum dignus vocari Apoſtolus, quoniam perſecutus ſum Eccleſiam Dei. Gratiâ autem Dei ſum id quod ſum.* 123.
quam victoriam Deus in nobis operatur per auxiliū gratiæ efficacis, quod Apoſtolo datum fuit abſque propria oratione;
1 Cor. 15.

*Atque ut oſtenderet* (inquit Sanctus Auguſtinus lib. de Grat. & lib. arbitr. cap. 5.) *& liberum arbitrium mox addidit*: Et gratia ejus in me vacua non fuit, ſed plus omnibus illis laboravi ...... *Tamen ne ipſa voluntas ſine gratia Dei putetur boni aliquid poſſe, continuò ...... ſubiunxit*: Non ego autem, ſed gratia Dei mecum; *id eſt, non ſolus, ſed gratia Dei mecumt ac per hoc nec gratia Dei ſola, nec ipſe ſolus, ſed gratia Dei cum illo. Vt autem de cælo vocaretur, & tam magnâ & efficaciſſimâ vocatione converteretur, gratia Dei erat ſola, quia merita eius erant magna, ſed mala.* S. Aug.

*Eius*, inquam, id eſt, Pauli; alioquin, ut ait Sanctus Auguſtinus Serm. 94 de diverſis cap. 4. *Saulus ad orationem Stephani pertinebat. Adhùc graſſabatur, & iam pro illo Stephanus exaudiebatur.* Et Serm. 1. de S. Stephano cap. 4. *Nam ſi Stephanus ſic non oraſſet, Eccleſia Paulum non haberet.* 124.
ſed non ſine oratione aliena pro ipſo.
S. Aug.

Conſonat id quod ſcribit idem S. Doctor lib. de Bono perſev. c. 22. *Cur non potiùs ita dicitur. Et ſi qui ſunt nondum vocati, pro eis ut vocentur oremus? Fortaſſis enim ſic prædeſtinati ſunt* (in intentione Dei) *ut noſtris orationibus* (in executione) *concedantur, & accipiant eamdem gratiam quâ velint eſſe atque efficiantur electi.*

Enimverò, ut ſubtiliter conſideravit Doctor Subtilis 1. diſt. 41. n. 11. *Volens ordinatè finem, & ea, quæ ſunt ad finem, priùs vult finem, quàm aliquod entium ad finem, quia propter finem alia vult: ergo cùm in toto proceſſu, quo creatura beatificabilis perducitur ad perfectum finem, finis ultimus ſit beatitudo perfecta, Deus volens huic aliquid iſtius ordinis, primò vult huic creaturæ beatificabili finem, & quaſi poſteriùs vult ſibi alia, quæ ſunt in ordine illorum, quæ pertinent ad illum finem; ſed gratia, fides, merita, & bonus* 125.
Volens ordinatè finē, & media, priùs vult finem, ex Scoto.

 *uſus*